DE SYNESIO

PTOLEMENSI EPISCOPO ET PENTAPOLEOS DEFENSORE

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

J. MANDOUL

APUD TOLOSANUM COLLEGIUM PROFESSOR

PARISII

APUD FÉLIX ALCAN EDITOREM

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

MDCCCXCIX

ERRATA

P. 17, l. 13 : *coercitata.*

Id., l. 19 : Illud *est* notatione dignum.

P. 25, l. 5 : tantummodo si qua necessitas *ingruat.*

P. 26, l. 3 : forsitan in ea cohorte *appareant.*

P. 48, l. 21 : ad *rem* dijudicandam.

P. 57 in fine : divinas amicorum *suorum* epistolas plenius degustavit.

INTRODUCTIO

Nihil Synesii superstitit, nisi illius epistolæ quædam et opuscula, de gente, de vita, de rebus ab illo gestis, cum Ptolemensis esset episcopus. Quapropter rhetor tantum est habitus, amabili quidem ingenio, et litterarum nugis occupatus. Nos autem, cum in illo et alias et insigniores nonnullas virtutes videamus, non tam rhetorem quam episcopum et ducem et populorum patronum depingere cupimus.

Nam Synesius non tantum suasorias et controversias, vel *de somniis* vel *de capillis cadentibus* facetè scripsit, et *Hymnos* more paganorum composuit, sed potius civis magnus fuit, qui civitati et provinciæ suæ toto animo se dedit. Illis enim principalibus similis fuisse ipse videtur, qui, per medii ævi tempora, in occidentalibus regionibus, cum regiæ potestatis paulatim vires deficerent, rerum publicarum administrationem usurpaverunt, et

civitatis et provinciæ, adversus imminentes barbaros, veri duces surrexerunt.

Quippe, quemadmodum noni vel decimi seculi post Christum natum principales, qui vasta patrimonia obtinebant, — quum regia potestas inermis jam caderet, et non satis virium retineret ad provincias adversus barbaros defendendas, — ipsi et res suas et rem publicam tueri inceperunt, et mox legitimi civitatis defensores apparuerunt; — ita Synesius, quia latifundia possidebat, non solum suam rem, sed etiam populi sui res et vitam defendit, et ideo, populi voce, civitatum Cyrenaicarum protector, ut ita dicam, electus est, et, factus episcopus, vel præsidum vel ducum, quos princeps in provinciam mittebat, sæpe avariori administrationi ita temperavit, ut supra illos eminere videretur (1).

(1) Bibliographia. *Synesii opera.* (Epistularum, quarum mentio facta est, numeri iidem qui in operum collectione *Patrologia* appellata, t. 66, indicantur.)

Synesii epistulæ in *Epistolographis græcis*, ab Hescher editæ, Didot 1873.

H. Druon. *Œuvres de Synésius*, traduites entièrement en français et précédées d'une étude biographique et littéraire. Paris, Hachette, 1878.

F. Lapatz. *Lettres de Synésius*. Paris, 1871.

W. Fritz. *Die Briefe des Bischofs Synesius von Kyrene. Ein Beitrag zur Geschichte des Attizismus im IV und V Jahrhunderts*. Leipzig, Teubner, 1898.

Schneider. *De vita Synesii philosophi atque episcopi*, dissertatio inauguralis. Grimmœ, 1876.

Thrige *Res Cyrenensium a primordiis inde civitatis usque ad ætatem qua in provinciæ formam a Romanis redacta.* Alteram editionem correctam et emendatam curavit. J. Bloch, Havniæ, 1828.

Rainaud. *Quid de natura et fructibus Cyrenaicæ Pentapolis antiqua monumenta cum recentioribus collata nobis tradiderint.* A. Colin. Paris, 1899.

Notitia dignitatum et administrationum omnium tam civilium quam militarium in partibus Orientis. (Bœcking, Bonn, 1839-1853

Digesta Justiniani Augusti. (Edit. Mommsen, Berlin 1870.)

Codex Thedosianus. (Edit. Hœnel, Leipzig 1837.)

Lécrivain (Ch.). *Le Sénat romain, depuis Dioclétien, à Rome et à Constantinople.* Thorin, 1888.

Guiraud (Paul). *Les assemblées provinciales dans l'empire romain.* Imprim. Nation , 1887.

Diehl. *Etudes sur l'administration byzantine dans l'Exarchat de Ravenne.* Paris, Thorin, 1888.

Fustel de Coulanges *Histoire des institutions politiques de l'ancienne France; La Gaule romaine,* revue par Jullian. Hachette, 1891.

Baudouin (Ed.). *Les grands domaines dans l'Empire romain.* Paris, Larose, 1899.

Mommsen. *Das Romische militarwesen seit Diocletian.* Hermès, 1889, v 24, p. 195-279.

Tillemont. *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique,* t. XII.

DE SYNESIO

PTOLEMENSI EPISCOPO ET PENTAPOLEOS DEFENSORE

I

DE SYNESII STIRPE ET INDOLE

Synesium nobili stirpe esse natum constare videtur : quippe non sine superbia quadam genus suum ab antiquis Doriis, qui, Eurysthene duce, Spartam condiderint, ortum esse contendit (1). Scimus utique in Pentapolide plures exstitisse gentes nobiles, quarum Synesius certe tamen et studia et odia usurpavit (2). Ceterum, haud alius inter nobiles, latifundiorum possessor exstitit (3) in quibus et asini, et equi, et mulæ pascuntur (4) ; sunt illi et prata et arva et vineta (5) quorum tantus est proventus, ut equis et doliis vini amicos suos condonare possit (6). Ita ut solent latifundiorum possessores, venationi indulget (7), et adeo a parce vivendo abest, ut navem remigis ornatam et a Car-

(1) Ep. 57. — Cf. Ep 113. Cyrenæ natus videtur esse : τὴν μητέρα Κυρήνην dicit. De Synesii nobilitate et quo anno natus sit (370) acutissime disseruit Schneider (*De vita Synesii*, cap. 1.)

(2) Cf. infra p. 14 et Ep. 79. 57. 58, et etiam Lib. II.

(3) Ep. 94 de barbaris in terris suis loquitur adstantibus.

(4) Ep. 109.

(5) Ep. 147.

(6) Ep. 40 et 133.

(7) Ep. 147.

pathiis, insignibus nautis, gubernatam amico cuidam conducat (1). Jam pluribus servis utitur ad omnes artes aptis, quos et a patre recepit (2), et ipse acquisivit (3).

Quam auctoritatem et origine et patrimonio habebat, eam, forsan armata militia egregie perfunctus (4), et ingenio etiam et litteris auxerit : etenim sententias philosophorum scrutatus, de illis disputavit (5) ; imo et in publico et opuscula et carmina recitavit, quibus ingenii acuti famam est adeptus.

Nempe Cyrenaici, ut ex hellenica stirpe, litterarum erant curiosi. Illi ipsi Pentapoleos incolæ, qui aut Judæi (6), aut Ægyptii, aut peregrini non erant (7), græcis litteris versati esse videntur. Athenas adivit Synesius, qui mos erat apud divites et eruditos, ut litteras græcas penitus hauriret (8). Athenienses laudibus sæpe extollit (9). Sed, in illo tempore, post Græciam captam, ab Athenis ad Alexandriam litteræ, ut ita dicam, migraverant (10). Et Alexandriæ Synesius τὴν φιλόσοφον Hypatiam audiverat et foverat : quam postea et gratia et admiratione sua est persecutus, et persæpe ad illam scripsit (11). Et, quum et Athenis et Alexandriæ per omnes studiorum numeros isset, litteris non tantum imbutus sed instructus, mox apud Cyrenaicos et philosophi

(1) Ep. 41. — Cf. Ep. 51.

(2) Ep. 144.

(3) Ep. 32.

(4) Ep. 127. - Cf. infra. p. 37. — In quinto seculo militia *armata* dicitur C. Th. VII, 1, 6.

(5) Cf. exempli causa, ejus opus cui *Dio* nomen.

(6) Ep. 4.

(7) Ep. 62.

(8) Ep. 54.

(9) Ep. 135.

(10) Ep. 136 et 138.

(11) Cf. epistolas ad Hypatiam, 10, 13, 15, 124. 154. — Cf. etiam ep. 135 et 136.

poetæque laudem adeptus est. Conveniebant tum Ptolemaide ingeniosi quidam viri, quorum cœtus Πανελλήνιον nominabatur (1), qui aut sua aut antiquorum opera recitabant, quos inter Synesius et ingenio et acumine eminuisse videtur, ideo quod forsan apud illos suum *Calvitii encomium* vel sua *Cynegetica* recitaverat (2).

Per illa omnia plurimum sane valuit Ptolemaide Synesius. Haud igitur mirum est, si et in civitate et etiam in Cyrenaica tota et in rebus publicis gerendis magnam auctoritatem sit adeptus. Quid ponderis in publicis consiliis habuerit, facile deprehendas si tantum ad quos scribat epistolas et a quibus vicissim espistolas accipiat, animadvertas. Plerique enim primas partes aut Alexandriæ, aut etiam in byzantina aula tenent : veniant in exemplum et comes Joannes (3), et præfectus augustalis Pentadius (4), et Alexandrinus Heliodorus (5), et comes Simplicius, utriusque militiæ magister (6) et poeta Theotimus (7) et Troilus sophista, quos Anthemius, Arcadii principis minister, diligebat (8) ; et Trypho, olim Pentapoleos præses (9) ; et præsertim Aurelianus consul, ter prætorii præfectus (10) quamvis brevi tempore a Gaina, Gothorum duce, in exsilium

(1) Ep. 100.

(2) Cf. passim *Epistulas Synesii*, imprimis Ep. 23, 41, 67, 79, 81. 137, etc.. et etiam Ep. 153 : Ἐνῆγε γὰρ αὐτοὺς εἰς τὸ καταδικάσαι μοῦ πρὸς μόνην παιδιὰν ἐπιτήδειον εἶναι, τὸ τάς Κυνηγετικὰς ἐκ τῆς οἰκίας οὐκ οἶδ' ὅπως διαῤῥυείσας, σπουδασθῆναι διαφερόντως ὑπὸ νεανίσκων ἐνίων, οἷς Ἑλληνισμοῦ τε καὶ χαρίτος ἔμελε...

(3) Ep. 110.

(4) Ep. 29, 30.

(5) Ep. 117.

(6) Ep. 24, 28, 130, 134.

(7) Ep. 24, 28, 130, 134.

(8) Ad Troïlum sex epistulas Synesius scripsit : 26, 73, 91, 112, 18, 123. De favore Troili apud Anthemium, Cf. ep. 79, 47, 129.

(9) Ep. 119, 129, 134.

(10) Ep. 61. — Cf. epistulas 31, 34, 38, ad Aurelianum scriptas.

ejectus fuerit (1), et gratia maxima apud imperatorem Arcadium pollens ; et Anysius, comes sacrarum largitionum (2) : qui quidem non solum patroni illius sunt, sed cum illo omnia consilia et affectus, amicorum more, communicant.

Ut, quæ sigillatim antea diximus, veluti in fascem colligamus, Synesius, exeunte quarto seculo post Christum, et gente, et copiis et ingenio, inter principales eminebat, adeo ut inter illos annumeraretur, qui rem publicam essent tractaturi : status et discrimina provinciæ Cyrenaicæ impellebant cives ejus ut supremam spem in illo ponerent (3), et eum tanquam provinciæ servatorem haberent, quam et duces male adversus barbaros defendebant et præsides diripiebant.

(1) Cf. Schneider De *vita Synesii* in cap. de *legatione ad Arcadium*.

(2) Fuit Anysius Pentapoleos dux (Ep. 57). Cujus profecti laudes celebravit Synesius (Catastasis I et II). Ad Anysium septem epistulæ : 6, 14. 37, 59, 77, 78, 96, fuerunt scriptæ.

(3) Ep. 57.

II

DE CYRENAICA

Cyrenaica vel Pentapolis (1),— populo romano Ptolemœi Apionis testamento in anno ante Christum natum 97 tradita, — in anno 74 provincia *quæstori pro prætore commissa* est facta (2) ; post insulæ Cretæ fuit juncta (anno 27), et in senatoriam provinciam constituta. Si Veronensibus tabulis est credendum (3), Libya superior nominata fuit, et a Creta distincta. Hujus Libyæ præcipua urbs Sosuza aut Apollonia erat. Posterius, Cyrenaica diœcesis Ægyptiani fuit.

Cujus provinciæ, incipiente quinto seculo, quinque præcipuæ urbes erant : scilicet Cyrene, Berenice, Tauchira vel Teucheira, Apollonia et Ptolemaïs (4). De multis aliis urbibus mentionem facit Synesius : in littore, de Erythre et Dardano (5) et Phyco (6); in terris, quarum fines incertæ erant (7), de Olbiatis (8), Battia (9), Aprosyli (10),

(1) Synes. ep. 69 et aliæ. — Cf. Rainaud. *Quid de natura et fructibus Cyrenaicæ Pentapolis*, etc., Paris, 1894, et J. S. Thrige. *Res Cyrenensium...*

(2) Cf. Thrige, op. cit.

(3) Anno 297 post Christum natum.

(4) *Synes. epist.* passim. Cf. Strabon, XVII, 3, 21.

(5) Ep. 67.

(6) Ep. 116.

(7) Cf. Rainaud, ch. II.

(8) Ep. 76.

(9) Ep. 125.

(10) *Id.*

Soesti (1), Asusama (2), Cleopatra (3), Auxiditarum pago (4), Palœbisca et Hydrace (5) ; et denique de oppidis quibusdam, inter quæ Bombæa (6), quo agricolæ, barbarorum incursionibus vexati, conveniunt.

Regio illa, in primis quinti seculi annis, divitiis quibusdam et copiis etiamnunc fruebatur. Retinuerat enim aliquid pristinorum bonorum, et segetibus et maritimo commercio florebat.

Siccam agri naturam dicunt antiquiores scriptores, qui de Pentapolide locuti sunt, sed nocturnis roribus temperantur arentia arva. Per hiemem quidem frequentissimi imbres, et, si non magnos fluvios habet, fontibus saltem copiosis est prædita (7). Cujus regionis Synesius noster agrestem dulcedinem laudat (8). Et etiam fecundam tellurem prædicat ipse ; non immerito quidem, ut etiam testantur nostri temporis exploratores (9). Hic colitur vitis, quæ « vinum tenuissimum » (10) præbet, et olea, quæ « oleum levissimum (11). » Dat quoque tellus « ponderosissimum

(1) Ep. 125

(2) Ep. 122.

(3) *Id.*

(4) *Id.*

(5) Ep. 67.

(6) Ep. 104. De præsentibus urbibus istis, vide Rainaud, cap. II et III.

(7) Rainaud, cap. IV : « Cyrenaica Pentapolis, cum satis ampla pluviarum copia sit prædita, nullum tamen perennem fluvium vel in oropedio vel in littore habet... Quo propius Cyrenas accedas, eo majorem invenias fontium ubertatem. Cyrenarum enim regio altissima, nec adeo procul e littore remota, ut marino humore ventis adducto careat... »

(8) Ep. 113 et 147.

(9) Beechey. Hamilton, Haimann, de quibus mentionem facit Rainaud, cap, 8.

(10) Ep. 147. — Cf. *id.* 133.

(11) *Id.*

frumentum », (1) et « optimum crocum,» (2) et fructus alios, et imprimis silphium aut laserpitium, Cyrenaïcum fructum, cænarum ornamentum (3), quod hodie extinctum videtur (4). Sunt et apes, quæ « mel crassissimum » (5) stillant. Et in pabulis copiosis capræ errant lactiferæ, et tauri et oves, et equorum greges (6). Jam venatus aliquid adjumenti mensis suppeditat (7), et struthiocamelorum pennas auro venduntur (8), et etiam ebur ad littus translatum (9). Porro e terra sal extrahitur, qui «Ammonis sal» appellatur, quem jucundissimum Synesius esse dicit (10).

Apud Cyrenaicos vero, deficientibus ceterum metallis (11), nec operosæ nec etiam delicatæ vigebant artes : ideo et ferramenta et vestimenta et omnia quæ ad luxuriam pertinent (12), Cyrenaici ab externis populis accipiebant, vel a Thracibus (13), vel ab Atheniensibus (14), adeo ut, ad bellum gerendum, armis carerent : ne ferrum quidem habebant unde arma fingerent (15) : Synesius enim ab amicis suis, qui aut Ægyptum aut Constantinopolim colunt, ferrum epistulis flagitat (16).

(1) *Id.* σιτόφορον dicit Diod. Sicul., III. 50.
(2) Ep. 133.
(3) Ep. 106 et 133. — Cf. Rainaud, cap. 8.
(4) Rainaud, *id.*
(5) Ep. 147. — Cf. Hamiltonii opinionem. a Rainaud. cap. 7 refertam, de Cyrenaico melle.
(6) Ep. 147. — Cf. Ep. 40. Ἔυιππος nominatur Pentapolis. Cf. Rainaud, cap. VII.
(7) Ep. 147.
(8) Ep. 133
(9) Cf. Rainaud, cap. VII.
(10) Ep. 148.
(11) Rainaud, caput VI.
(12) Cf. Ep. 109 et præsertim, ep. 3, in quâ describuntur insignia elegantissimæ feminæ ornamenta.
(13) Ep. 48.
(14) Ep. 52.
(15) Ep. 133.
(16) Ep. 132.

Non igitur est mirum, si a portubus Cyrenaicis ad provincias orientales, ad Syriam dico et ad Asiam minorem (1), et ad Ægyptum (2), Thraciamque (3) præsertim, Cyrenaici sæpe veniant mercatores. Alexandria, ad quam naves quinque dierum itinere appellere possunt (4), cum Cyrenaicis mercaturas facit permultas. Et Judæi (5), aut præsertim Carpathii (6), quibus, si credendum est Synesio, non meliores sunt nautæ, littora circumvectantur.

Quibus rebus dignoscere possumus Cyrenaicam in quinto seculo aliquid pristinæ ubertatis retinuisse. Et Synesius ille noster, qui se agris suis permultas et varias capit opes, quique cum amicis suis vel Thraciam vel Ægyptum colentibus commercium habet, nobis, ut ita dicam, pæne apparet tamquam Cyrenaicæ illius imago, quæ et dives agris erat, et græcis disciplinis exculta, et cum provinciis orientalis imperii conjuncta.

(1) Ep. 147.
(2) Ep. 4, 15, 147.
(3) Ep. 48 et 70,
(4) Ep. 51.
(5) Ep. 4.
(6) Ep. 41 et 51.

III

DE BARBARORUM INCURSIONIBUS.

Ab initio quinti seculi post Christum natum, res Cyrenaicæ magno in discrimine versantur. Illius enim fines infestos reddunt Barbari, qui, crebris in agros excursionibus, et omnes terrent et omnia populantur.

Antiquitus Africam romanam persæpe vexaverant populi isti, qui sedibus incertis vagantur. Immo Romani, vel quum imperium floreret romanum, istos coercere non potuerunt. Synesius vero duarum tantummodo gentium mentionem facit, Macetorum (1) et Ausurianorum (2), quos quidem et Philostorgus nominat Μαζίκας και Αὐξωριάνους (3) Attamen, Ammianus Marcellinus hos solos commemorat, quos *Austurianos* nominat (4).

Non Germanis vagæ istæ gentes similes fuisse videntur : illi agrorum ditissimos occupare conabantur ; hæ contra, omnia diripere, agere, pellere. Germani ingenti et formidando agmine in Europæ populos irruebant, quibus bellis sedes novas et meliores haberent. Africæ contra vagæ gentes non tam in ditionem suam populos redigere cupiunt, quam prædas rapere, quibus famem pellant (5). Feri ho

(1) Ep. 129 *bis* Μακέται.

(2) Ep. 78. Τόν Ἀσυριανὸν πόλεμον,

(3) Ex ecclesiasticis historiis Philostorgii epitome, confecta a Photio patriarcha, XI, 8 : οὐ μόνον δε ἀλλὰ καὶ Μάζικες καὶ Αὐξωριανοὶ (μεταξὺ δὲ Λιβύης καὶ Ἄφρων οὗτοι νέμονται), κατὰ μὲν τὸ ἑωθινὸν αὐτῶν κλίμα τὴν Λιβύην ἐξηρήμωσαν.

(4) Ammiani Marcellini rerum gestarum libri qui supersunt. Edit. Teubner, 1874, XXVI, 4, 5, XXVIII, 6, 2.

(5) Ep. 104 ὑπὸ λιμοῦ στρατηγούμενα.

mines et horridi, incendio sanguineque gaudent (1). Post omnia vastata, post agricolas occisos (2), tabernacula repetunt sua, spolia referentes, et feminas trahentes, quas aut vendant aut servorum familiæ addant (3). Prædatoribus magis quam militibus similes (4), non legitimum faciunt bellum : quum acies illis opponitur, fugam capessunt, et prædam tantum ab imbecillis et timidis auferunt (5).

Ubi solitudinem in aliquo loco fecerunt, deserta repetunt sua, nil aliud post se relinquentes quam luctum et inopiam (6)..

Ideo pagani, desertis vicis, in urbes conveniunt : dira illa in vastitate pauca tantum exstant oppida (7). Nam agricolæ, metu attoniti, sub adventu barbarorum, præcipitem in fugam erumpunt, haud aliter quam si aut Corybantes aut formidandos illos Rheæ deæ dæmones viderent (8).

Attamen barbaros istos fugare haud multi sit laboris, quia et militaris disciplinæ et legitimi belli sunt expertes (9) : hostem præoccupare et deinde terga dare, hæc est illis ars, hæc virtus (10). Ad pugnandum ex equo descendunt (11), sed nunquam acriter conserunt manus. Expediti,

(1) Ep 107.

(2) *Id.*

(3) Ep. 125. Cf. Amm. Marcell. XXVIII, 6, 2 : « Austoriani his contermini partibus barbari, in discursus semper expediti veloces vivereque adsueti rapinis et cædibus, paulisper pacati, in genuinos turbines revoluti sunt hanc causam prætendentes ut seriam. »

(4) Ep. 131. οὐδὲ γὰρ ἄξιον καλεῖν αὐτοὺς πολεμίους, ἀλλὰ λῃστὰς ἢ λωποδυτάς.

(5) *Id. id.*

(6) Ep. 124.

(7) Ep. 69.

(8) Ep. 122.

(9) *Id.* Narrat Synesius barbaros in Myrsinitide a fortibus quibusdam sacerdotibus fugatos.

(10) Ep. 104.

(11) *Id.*

non instructi, aut gladios aut tela aut scuta habent, quibus vero utendi non artem callent (1) : adeo ut quadraginta Unnigardi mille barbaros et propellant et facile vincant (2) ; immo ut fortes quidam sacerdotes aut parva paganorum manus, vincere animo parati, illis obsistant, qui, ut latrones ignavi, fœde fugam statim capessunt. (3)

Qui igitur barbari Cyrenaicam in magnum discrimen adducere non poterant. Illis vero adjumenti est et Cyrenaicæ status, et quod deest disciplina militaris, et quod desunt quoque justus exercitus et periti duces. Imperatoria enim potestas, quæ olim provincias tuebatur, jam in deterius labitur, et non satis retinuit virium ad Pentapolidem servandam. Immo præsides quam provinciam defendere nequeunt, eam haurire, turbare, perdere, videntur. Quippe huc recidit ratio administrandi qua utuntur, ut Barbari ipsi, in fines incurrentes, provinciæ non majori sint detrimento quam judices et duces.

(1) Ep. 108.
(2) Ep 78.
(3) Ep. 108.

IV

DE PENTAPOLIS PRÆSIDIBUS

Illi, qui a principe mittitur ad Cyrenaicam, vel Libyam superiorem, gubernandam, nomen est præses (1). Et judex quoque, ut præsides omnes, nominatur (2), quia sane « omnes civiles caussas et præcipue eas, quæ fama celebriores sunt, negotia criminalia publice audire » imprimis debent (3). Omnia autem regit præses, milite forsan excepto : quin etiam et in militum causis litigia terminandi jus imperatoriis rescriptis datur (4). Porro, quia provinciæ administrandæ ipse est, ut ita dicam, caput, non ei aliena sunt tributa et vectigalia (5), et exactiones, sicut præfecti

(1) *Notitia dignitatum in partibus orientis.* Cap. I *Index*, § 22. — Cf. *Digesta* I, 18, 2 : « Macer libro primo de officiio præsidis. Præsidis nomen generale est eoque et proconsules et legati Cæsaris et omnes provincias regentes, licet senatores sint, præsides appellantur ...»

(2) *Codex Theod.* X, 10, 2 et 3 (ann. 319) XI, 1, 3 (anno 336).

(3) Id. I, 12, 1 (ann. 313).

(4) Id. II, 1, 2 (ann. 355) : « Definitum est provinciarum rectores in civilibus caussis litigia terminare, etsi militantes exceperint jurgia vel moverint. Ne igitur usurpatio judicia legisque confundat aut judicibus ordinariis adimat propriam notionem, ad provinciarum rectores transferantur jurgia civilium quæstionum. *In criminalibus etiam caussis, si miles poposcerit reum, provinciæ rector inquirat.....*

(5) XI, 7, 12 : « Potentiorum possessorum domus officium provinciæ rectoris exigere debet, decurïo vero personas curialium convenire, minores autem possessores defensor civitatis ad solutionem fiscalium pensitationem spectata fidelitate compellere » (ann. 383).

annonæ, aut rationales sustinet (1) et « manu propria periculo suo annonarias species et cetera, quæ indictione penduntur, definitis quantitatibus et comprehensis modis facta adscriptione » designat (2).

Ad provinciæ res gerendas, vicariis utitur quibusdam præses, qui ita, in Notitia dignitatum, (3) enumerantur : *princeps officii*, *cornicularius*, *commentariensis*, *adjutor*, *numerarius*, *ab actis*, *exceptores*, etc. Humiliora autem negotia « pedaneis judicibus » delègat, quos commemorat Codex Theodosianus (4). Et ei quoque sunt, omissis principalibus et curialibus, adjutores quidam ad vectigalia exigenda vel ratione non legitima : veniat in exemplum Thoas iste, olim carceris custos, qui ab Andronico, provinciæ rectore, vectigalium coactor est factus (5).

Attamen non sine arbitrio in provincia res agit judex. Etenim ejus sententias ad superiores Alexandriæ judices (6) provocare aliquando possunt litigatores (7) ; et interdum, si de gravibus agatur rebus, ad proconsulis tri-

(1) Cod. Theod. XI, 7, 8 : « Exactiones provinciarum, quas rectores aut præfecti annonæ aut rationales per Africam sustinet, a majoribus judicibus usurpari non debent, sed ab tris solis impleri, quibus cura exactionis imminet... (ann. 355).

(2) Id XI, 7, 12 (383).

(3) *Not. dignit. in partibus Orientis*. Cap. XLII *Præses Thebaidos* et Cap. XLIII. *Præses superioris Libyæ*.

(4) Cod. Theos. I, 16, 8 : Quædam sunt negotia, in quibus superfluum est moderatorem exspectari provinciæ : ideoque pedaneos judices, hoc est qui negotia humiliores disceptent, constituendi damus præsidibus potestatem...» — Cf. id. I, 16, 3 : « Et judices ordinarios causis diversis designat, et eorum judicia speculatur, quæ principi exponere debetur... (ann. 362).

(5) Ep. 79.

(6) Scilicet ad præfectum Augustalem, cujus sub dispositione est Libya superior (Nihil, signit. in Part. Or. Cap. XXI).

(7) Ep. 68, 154, 155. — Cf. Ep. 50, in qua Synesius dolet se causas multas judicibus commendatorum. — Cf. etiam Cod. Theod. XI, 30. *De appellationibus* et infra, p. 28.

bunal (1) vel etiam ad principis aulam constantinopolitanam appellationem interponunt (2).

Sæpissime quidem ad voluntatem suam provinciam administrat præses. Et, in rescriptis principum quibusdam, judicum immodestiæ mentio fit, ita ut Codex Theodosianus prœsidem reprehendat, qui « popularitati et spectaculorum editionibus mancipatus, plus ludicris curæ tribuat quam seriis actis ; » (3) præsertimque commemoret rectores quosdam potestate sua esse abusos in feminas « circa nuptias invitis ipsis vel parentibus contrahendas, sive pupillæ, sive apud patres virgines sive viduæ sunt » (4). Et Zozimus, et Ammianus Marcellinus quoque de gubernatoribus querelas faciunt (5).

Synesio tamen, de Pentapoleos præsidibus indignationem suam exprimenti, nihil nimis oportet confidere. In vitupetandis enim vel præsidis administrantis vel ducis vitiis, Synesius noster, ut credo, aliquid ingenio suo indulsit et illa in pejus auxit. Aliquid forsan malignitatis in ejus accusationibus detegi possit, sive quia aut ipse præsidem vel ducem odit, sive quia, de rectoribus procerum libertati nimis obsistentibus, eadem cum Cyrenaicæ potentibus sentit.

Nihilominus, ex ejus lamentationibus de Cyrenaica pes-

(1) Cod. Theod. XI, 30, 62 (ann. 405) et 68 ann. 429). In hac lege 68 scribitur : « In privatæ rei causis prœter pensionum et competitionum negotia, de ceteris titulis ex appellatione a rationali judicio proconsulem oportet cognoscere. Salva enim nostra reverentiâ majestatis, jus nobis cum privatis non dedignamur esse commune...»

(2) Id. — Cf. Ep. 42, 47, 118.

(3) I, 16, 9 (ann. 364).

(4) Cod. Theod. III, 11, 1 (ann. 380).

(5) Zozime IV, 28. Οἱ τᾶς πολεις οἰχοῦντες πενίᾳ τε χαι ἀρχόντων χαχίᾳ τρυχόμενοι δυστυχῆ χαὶ οἴχτιστον ἔτριβον βῖον. — Amm. Marcell., XXX, IV, 2 : « ... Laxavitque rapinarum fores, quæ roborabantur in dies judicum advocatorumque pravitate sententium paria... »

sime gubernata, apparet, ut potestate maxima utantur et etiam abutantur præsides.

Si qua criminanti Synesio fides habetur, haud frequenter inter optimos eligitur præses, sed sæpius inter aulicos ære alieno oppressos (1) : eum enim Constantinopoli exeuntem insectantur creditores, qui ergo imprimis aut pecuniam variis modis, facere aut augere percupit. Interdum etiam præsides nefarii sunt homines, ad omnia fere scelera parati : documento est Euthalus ille, Ægypti præfectus, cui gravem mulctam irrogavit Ruffinus comes, quia, Synesio teste, in Lydia violentus pecuniarum exstiterat exactor (2).

Paucos, Gennadii more, honestos judices reperias ; permultos contra scelestos, et, Andronici more, nefarios (3). Et, si præses ex illa est ortus provincia quam administraturus est, tum nil gravius accidere potest (4) : vetat lex imperatoria quædam, ne quis illam administret provinciam e qua sit ortus : sed adeo est irrita lex illa, ut Andronicus Berenicensis Cyrenaicam regere possit (5) : qui, si Synesio aliqua fides est, Cyrenaicos maxime vexavit, adeo ut Pentapolis, ut ita dicam, præsidis res ipsa facta sit : qui enim nonnullis opibus fruuntur, hos vel exactionibus, vel etiam suppliciis insectatur immodestus ille judex : hæc est quidem Andronici administrandi ratio.

Omnes igitur pecuniæ vias comperit Andronicus, permultis suis creditoribus Cyrenaicam præbens, quasi legitima esset hypotheca (6). Gennadius contra, cujus fuerat ille successor, rem nummariam sine avaritia tractabat, et necessaria tantum vectigalia exigebat, nedum populos ad

(1) Ep. 100.
(2) Ep. 127.
(3) Ep. 73.
(4) *Id.*
(5) *Id.*
(6) Ep. 73.

inflandum fiscum vexaret (1). Andronicus vero et vectigalia et portoria multiplicavit (2), et illa sæpe bis exegit. Qui quidem τιρώνικα, sive aurum tironicum, quod tributum pendebant curiales, ad justum exercitum scribendum (3), legitime exegit; sed jus provocationis ad tribunal, in quo sedet ipse, nemini concedit, nisi ære accepto (4). Vectigalia alia super alia vectigalia exigit, ut ait Synesius, ita ut populos gravissimis tributis obterat (5), et etiam paganos ad id sæpe adducat, ut agros ad vectigalia pendenda vendant (6). Et præcipue divites et nobiles cives insectatur avarus ille præses. Præterea divitem quamdam puellam vi rapit (7), haud insolitum præsidibus, ut testari videtur Codex theodosianus (8), flagitium. Immo civitatum principalibus suppliciis nummos extorquet (9). Jam, tormenta illis non admovet qui scelus aliquod admiserunt, sed illis quibus pro fortuna et opibus tributa imposuit. Et etiamsi dives sit aliquis et habeat unde pendat, ideo tamen virgas effugere non potest: dum redeat servus, domum missus, qui redemptionis pretium afferat, dominus interea et virgis cœditur et digitis mutilatur (10). Jamvero nova quædam supplicia excogitavit Andronicus, et nova aliqua tormenta quibus et pedes torqueat, et digitos illidat, et nasum et aures extrahat (11). Hic est nefarius

(1) Ep. 79.
(2) *Id.*
(3) *Id.*
(4) *Id.* ἀυλάναια.
(5) *Id.*
(6) Ep. 73.
(7) Ep. 58.
(8) III, 6, 1 (ann. 380) : « Si quis in potestate publicâ positus atque honore administrandarum provinciarum, qui parentibus aut tutoribus aut curatoribus aut ipsis, quæ matrimonium contractuæ sunt, potest esse terribilis, sponsalia dederit. » — *Id.* II, 1 (380) : V. supra, p. 13 et 14.
(9) Ep. 58 et 79.
(10) Ep. 79.
(11) Ep. 58 et 79.

ille vir, non tam præses quam scortator (1). Sequuntur illum semper, ait præterea Synesius, perditæ mulieres, quarum blanditias, bonis, lacrymis, sanguine etiam innocentium emit (2). Satellites autem plures, duci isti similes, terrorem omnibus injiciunt : quos inter eminent et Zeno, et Julius, et Thoas, tributorum exactor, quorum nomina vehementer increpat Synesius noster.

Qui crudelis præses non minus ad suspiciones pronus est : omnia igitur timet Andronicus, omnia illum terrent. Tres aut quatuor cives, quod inter se cœnaverunt, hoc suspecti facti sunt (3). Florent itaque in Cyrenaica delatores isti, quos principis creaverat potestas, quod nullis erat coercitat frenis : ad omnia flagitia parati, et ad injurias tam apti, ut imperatores ipsi invisos præsides quosdam haberent (4). Illos fovet tyrannus, illos amplectitur (5). Immo cives omnes in delatores mutare cupit : qui silent damnantur (6). Qui vero majestatis postulatur, ille in ruinam suam et uxorem, et filios et cognatos et amicos trahit (7).

Attamen illud et notatione dignum, Synesium de illo majestatis crimine semel mentionem fecisse. Vigebatne etiamnunc lex a Theodosio in anno 393 lata, qua princeps solus de majestate decernere quibat (8) ? Illud pro certo

(1) Ep. 79 : ἄποφρας ἄνθρωπος.

(2) Ep. 79.

(3) Ep. 73.

(4) *Cod. Theod.*, X. 10. 2 (319) : « Comprimatur unum maximum humanæ vitæ malum, delatorum exsecranda pernicies, et inter primos conatus in ipsis faucibus stranguletur, et amputata radicitus invidiæ lingua vellatur, ita ut judices nec calumniam nec vocem prorsus deferentes admittant ; sed si qui delator exstiterit, capitali sententia subjugetur... » — *Id. id.* 3 (335) : « Omnes judices invigilare præcipimus et delatores pænis afficere. »

(5) Ep. 73.

(6) *Id.*

(7) Ep. 94.

(8) *Cod. Theod.*, IX. 4. 1 (ann. 393) : « Si quis modestiæ nescius et

ponere eo est difficilius, quod Synesius in epistulâ quadam dicit, judicem designatum, qui de majestatis crimine statuat, non minus tremere quam reum ipsum (1). Crimen illud sane frequens erat. Majestatis enim, ut verisimile est, fuerat postulatus filius ille Maximini, de quo Synesius ad amicum suum Constantinopoli habitantem, ut habeat eum commendatissimum, scribit (2). Sed hoc erat in illo crimine, de quo scribit noster, admodo novum, ut unus ex amicis præsidis, qui præcipue apud illum gratia valeret, majestatis postularetur. Reo nomen erat Julius : cui adeo favet Synesius ut illum servare conetur (3). Et si Synesius de uno tantum majestatis crimine mentionem facit, contendere tamen possumus alia majestatis crimina in illo tempore fuisse illata.

Pentapolis igitur tota, ut ex epistulis Synesii apparet, tam immani dominatione vexatur, ut vestigia justitiæ alicujus frustra inquiras. Judices enim non minus timendos esse dicit noster quam hostes (4), ita ut judicia emenda sint (5), et scelesti homines non inquietentur, sed auferant, rapiant quod non suum sit, a nullo judice lacessiti : documento est Petri cujusdam impudentia, qui, aliquid cupiens, illud vi rapit, raptoque potitus, vero rei domino litem ultro intendit (6). Quod si in judicio superatur Petrus idem, quod

pudoris ignarus improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentiâ turbulentus, obtrectator temporum fuerit, eum pœnæ nolumus subjugari, neque durum aliquid nec asperum sustinere, quoniam si id ex levitate processerit contemnendum est, si ex insaniâ, miseratione dignissimum, si ab injuriâ, remittendum. Unde integris omnibus ad nostram scientiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensamus, et, utrum prætermitti, an exquiri debeat, censeamus... »

(1) Ep. 94.
(2) Ep. 118.
(3) Ep. 94.
(4) Ep. 59.
(5) Ep. 2.
(6) Ep. 50.

non jure obtinere potest, illud injuria et vi retinet, tanta audacia, ut boni cives conjurare necesse habeant ne irritum sit judicium (1).

Præses ille, qui bonos vexat cives, minime coercendis latronibus providere et adversus raptores imbecillus immanere videtur. Attamen in provincia sane summus est judex (2), sed plerumque de parvis litibus decernere non curat, de quibus cognoscit judex minor (3), et majores causas optimos acquirendæ pecuniæ modos tantummodo esse videt (4). Irruperunt deinde barbari, et tantus fuit tumultus, tantaque perturbatio, ut tribunalia clausa fuerint (5).

Igitur, quum in provincia non jam sint judices, a judicibus externis litigatores justitiam petere necesse habent : Præsidibus ceterum ab imperatoribus mandatur, ut « si quis provocatione sibi opus esse cognoscit, juxta morem ordinemque legum, accipiant libellos et ad eos, qui consuerunt audire, transmittant (6) » Quas quidem appellationes sane non leves esse monent imperatoria rescripta (7); et etiam « in fiscalibus debitis » fere nullius provocatio admittenda censetur (8). Sæpissime vero mandant principes ut cito a præsidibus appellationes expediantur (9). Crebræ

(1) Ep. 47.

(2) *Cod, Theod.*, I, 12, 1 (313). – Cf. *id.* I, 16, 1 (*De officio rectoris provinciæ*) (ann. 315) : « De omni causa in hoc judicio præsentibus partibus atque personis, ita his temporibus ipse cognosce, quæ ex eo die computabis, ex quo caussa in hoc judicio cœperit incohari.. »

(3) Ep. 94.

(4) V. supra, p. 16.

(5) Ep. 59 et 107.

(6) *Cod. Theod.* XI, 30, 22 (ann. 343).

(7) *Id.* XI, 36, 1 (ann. 614) : « Moratorias dilationes frustratoriasque non tam appellationes quam ludificationes admitti non convenit... »

(8) *Id.* XI, 36, 8 (ann. 347). — Sed « in eâdem provinciâ... negotii merita noscenda sunt... (*C. Th.* XI, 30, 46) (ann. 385).

(9) *Id.*, XI, 30, 22 (ann. 343) : « Omnes præsides moneantur, ut, si quis provocatione sibi opus esse cognoscit, juxta morem ordinemque legum

sunt itaque, in Cyrenaica, provocationes, et potissimum ad diœcesis aulam, cujus Alexandriæ sedes est. Non tamen causæ omnes ad Augustalis præfecti tribunal perveniunt : nam si, exempli gratia, « super fiscali debito emerserit provocatio, *in eadem provincia* vicesimo die negotii merita noscendæ sunt (1). »

Et, interdum, magni etiam et opulenti quidam litigatores. — De Diogene (2), Herode (3), Martyrio (4) et Asphalio (5) dico, quorum Synesius mentionem facit — diœcesis præfecti justitiam aspernati, a prætorii præfecto justitiam petunt (6).

Quod et præses tyrannus est, et judices aut sunt avari, aut non sunt omnino, hoc miseram illam regionem pessumdat, quam et vectigalia jam vexaverant, et locustæ, et incendia, et terræ quassationes et bella, et pestis et fames erant populata (7).

Fit igitur vera vox illa quæ prædixerat « Libyæ mortem a præfectis esse venturam (8). » Sed dicere posset oraculum « et a ducibus. » Nam quod præsides disturbare cœperant, illud reliquum, si qua fides Synesii epistulis habenda est, duces ipsi funditus eruere videntur.

accipiant libellos, et ad eos, qui consuerunt audire, transmittant... » — Cf. *id.* XI, 30, 62 : « In negotiis, quæ ex appellatione descendunt, veterem consuetudinem volumus custodiri : illud addentes, ut, si quando a gentilibus vel a præfectis eorum fuisset interposita provocatio, sacrum solenniter, hoc est proconsularis cognitionis præstoletur examen... »

(1) *Cod. Theod.*, XI, 30, 46 (ann. 385).

(2) Ep. 118.

(3) Ep. 38.

(4) Ep. 47.

(5) Ep. 42.

(6) Ep. 42. Cf. Ep. 47.

(7) Ep. 58.

(8) Ep. 73.

V

DE DUCIBUS CYRENAICÆ PENTAPOLEOS

Quod ad rem militarem attinet, diu Pentapolis Ægypti in subsidium fuerat annexa (1). Non pridem vero, sed post Constantinum mortuum (2), proprio fruitur duce. Ille, in *Notitia dignitatum* (3), dux Libyarum denominatur : a magistro utriusque militiæ per Orientem pendet (4), et Ptolemaida sedem habet (5). Documento est Chilas, qui sane a militiæ magistro, Constantinopoli, strategi titulum petit (6); documento quoque Marcellinus, qui, quum magistratu suo exit, Constantinopolim petit, rationes daturus (7) : documento denique Synesius, qui Constantinopoli de ducibus queritur (8).

(1) Ep. 94.

(2) Mommsen (*Das Ræmische Militærwesen seit Diocletian*, in *Hermès*. 1894, p. 215) scripsit sub uno duce, regnante Constantino, Ægyptum et Thebaida et utrasque Lybias fuisse ; quod comprobat inscriptio in Louqsor inventa : « Fortissimo ac piissimo imp. d. n. Fl. Val. Constantino pio felici invicto Augusto Valerius Rometalca vir perfectissimus dux Ægypti et Thebaidos utrarumque Libyarum nomini majestatique ejus semper dicatissimus... »

(3) *Not. sign. in part. Orient.* cap. 27. — Eum vocat Synesius στράτηγον (Ep. 129 *bis*).

(4) In *Notitia* legitur sub dispositione magistri militum per Orientem fuisse *equites tertio Dalmatæ* (cap. VI). — Synesius autem de *Dalmatica legione* mentionem facit. (Ep. 86). — Cf. Ep. 62, 110, 129 *bis*.

(5) Ep. 109 : οὓς εἰκὸς σε κομίζειν ἀπὸ τοῦ στρατηγίου.

(6) Ep. 110.

(7) Ep. 62.

(8) Ep. 129 *bis*.

Cujus ducis Cyrenaicæ officium ita est constitutum (1) :

« (1) Principem.

(2) Numerarios.

(3) Et adjutores eorum.

(4) Commentariensem.

(5) Adjutorem.

(6) A libellis sive subscribendarium.

(7) Exceptores.

(8) Et ceterum officinales. »

In provincia ergo amplissimus homo apparet dux, qui quoque comes appellatur (2), et, ineunte quarto seculo, in *spectabilibus* ponitur (3).

Attamen, si credendus est Synesius, raro inter optimos eliguntur, ita ut præsides, duces ipsi.

Haud frequenter Cyrenaica honesto et perito duce est usa. Marcellinus enim ille, quem memorat Synesius, moribus et vita ab aliis ducibus abhorret. « In Deum enim pius, in cives justus, in supplices humanus, tantas habet virtutes ut illas laudibus exsequi difficile sit. (4) » Ille dux et Cyrenaicam intus componit, et militarem disciplinam in castris restituit, et a finibus Barbaros propellit (5). Marcellini mores Anysius quoque referre videtur (6). Sed multo plures sunt ignavi duces quam boni. Veniat in exemplum Chilas quidam, qui quidem nunquam bellavit, nisi in lupanare cujus dominus erat, quique non militum agmen sed scortorum ducebat : qui, in anno 396 post Christum natum, Constantinopolim ivit et in aulam penetravit : Ruffino autem illum

(1) *Not. dignit. in partibus Or.* cap. 27. — Cf. *Monatsberichte der Kœnigl. Preuss. Akademia*, 1879, p. 145.

(2) Mommsen. *Hermès*, 1894, p. 267.

(3) *Id. id.*

(4) Ep. 62.

(5) *Id.*

(6) Ep. 78. — *Catastasis*, 1, 2, — II, 2.

adjuvante, dux inde rediit (1). Haud multos post annos, Pentapoleos exercitum ducit Cerealius quidam, quem ut rei militaris peritissimum magister utriusque militiæ per Orientem in provinciam Cyrenaicam misit : ille autem quam sit omnium virtutum expers, vel unus e civibus, post quinque dies, penitus dignoscere potest : omnia enim venalia habet, civium opinionem parvi pendit, in re militari admodum rudis est : per pacem denique vera pestis, exercitum et urbes tantum in deterius mutat : et, quum Barbari in fines irrumpunt, cautus, navem ascendit opibus suis oneratam, et altum tenet ; inde tantum imperat, dum illi, qui Pentapolim defendunt, magnis in laboribus magnoque in discrimine versantur (2).

Haud multum a Chila et Cereali abhorret Joannes ille Phrygius, qui, ut ita dicam, militis gloriosi personam exprimit. Nempe domi audaciæ plenus, omnibus victoriam facilem pollicetur ; irrumpant vero hostes : quam celerrime dat tergum, aut Bombæam petit, quæ totius Pentapoleos arx est tutissima (3).

Quum adeo ignavi sint duces, quæ virtutes militibus inesse possunt ? Illi disciplinæ sunt expertes. Immo militum vitiis duces indulgere videntur, ita ut, libente duce, ab incolis pecuniam illi extorqueant. Strategi ipsi populationes parant, ut civitates majore pretio milites a se removeant, qui, quas urbes tueri debent, illas diripiunt (4). Documento est Cerealius, qui exercitum suum non in eos locos ducit in quos irrumpere possunt hostes, sed in illos potissimum unde ab incolis magnifica spolia milites auferant (5).

(1) Ep. 110.
(2) Ep. 129 *bis*.
(3) Ep. 104.
(4) Ep. 129 *bis*.
(5) *Id.*

Ceterum minor, quam ut fines tueri possit, ille Cyrenaicæ exercitus videtur. De legione nullà in Pentapoli mentionem facit Notitia dignitatum ; Anastasius vero imperator, in rescripto quodam (1), Pentapolim dicit quinque *numeris* servari, qui sane centenorum vel ducentorum militum erant (2), scilicet in totum non duorum millium numerum excedentes (3).

Non minus virtute quam numero mediocres milites illi videntur. Ex alienigenis enim et fere barbaris militibus constat ille exercitus, cui Cyrenaicas opes servare mandatur ; in provinciis ceterum omnibus, a Diocletiano imperante, in pretio majore sunt barbari quam romani milites (4). Non mirum est si in Pentapolitanis castris, auctore Synesio, stant Marcomani (5). Illud enim queritur noster, quod ad provinciam tuendam duces externis utuntur militibus : « Quis ignorat, inquit, vel optimos duces rei militaris sæpe oblivisci, et in mercatores sæpius mutari, quod externo milite corrumpuntur (6) ».

In Pentapoli autem fuisse, Augusto imperante, *legionem*

(1) Monatsberichte der Kæniglich preussischen Akademie der Wissenschaften zu Berlin Aus dem Jahre. 1879, p. 134 et sq. Zacharie von Lingenthal. *Die Vom Kaiser Anastasius fur die Libya Pentapolis erlassenen formæ*. In illo rescripto legitur (Corpus inscriptionum græcarum, n. 5187 ; Hænel. Corpus legum, II. p. 281) :

§ 5. Ὥστε μὴ ἐξεῖναι τοῖς νῦν ἢ κατὰ καιρὸν νουμεραρίοις ἢ πριμισκρινίοις κομίζεσθαί τι παρα τῶν στρατιωτῶν τῶν πέντε ἀριθμῶν λόγῳ χαρτατικῶν.

(2) *Id.* § 7 : Ὥστε ἰνσπεσάτου γινομένου μὴ καταζητεῖσθαι ὡς ἀσθενεῖς ἢ αχρείους τοὺς πρώτους ἑκάστου ἀριθμοῦ καὶ κάστρου τουτέστιν εἰ μὲν ἑκατὸν εἶεν ἄνδρες τοὺς πρώτους πένται εἰ δὲ διακόσιοι τοὺς πρώτους δέκα τὴν δὲ αὐτὴν αναλογιάν καὶ ἐπὶ τοῖς πλίοσιν καὶ ἐπὶ τοῖς ἐλάττοσιν ἀνδράσιν φυλαττεσθαι...

(3) Mommsen. *Hermès*. 1894. p. 199. nota 6.

(4) Mommsen op. cit. in *Hermès*. p. 240.

(5) Ep. 110.

(6) Ep. 94.

Cyrenaicam constat, non vero sane ex incolis collatam (1).

Attamen pars exercitus inter provinciæ incolas conscripta fuisse videtur. Abolitum fere quidem erat antiquum militaris militiæ, et civibus impositum, officium ; aut saltem, a Valentiniano primo, tantummodo si qua necessitas inguat, in militiæ disciplinam revocantur cives (2). Inde in exercitu provinciali interdum apparent cives quidam, ut Synesius ipse, qui se militavisse refert (3). Et sæpe etiam peregrinis militandi officium imponitur, quibus nullus est ad servandam provinciam impetus, quibus itaque Synesius, in provinciali concilio, militiæ vacationem dandam suadet (4).

Latifundiorum vero dominis indictum est tironicum, quod sane, a Valentiniano, ut vectigal pendetur (5). Sæpissime autem inter colonos tirones offerre debent, qui statim militiæ adscribantur, et quorum « præbitio in patrimoniorum viribus potius, quam in personarum muneribus » collocatur (6).

Immo a tironum præstatione non immunia principis latifundia fuisse constat (7).

(1) Mommsen, *Hermès*, 1884, T. 19. — (De legionum dispositione in romanis provinciis) ab Arriano de Κυρηναίοις facta est mentio.

(2) Cod. Th., VII, 13, 9 (ann. 379) : « Ex opportunis regionibus supplementa numeris mansuetudo nostra decrevit agitari... »

(3) Ep. 127.

(4) Ep. 94.

(5) Cod. Th., VII, 13, 9 : « Domum nostram ad exhibenda tironum corpora per eas provincias a quibus corpora flagitantur, nolumus perurgeri : ceterum sinimus conveniri, in quibus pretia postulantur, ita ut certâ præbitione reditnum vicem concessionis istius repensemus... » (Ann. 379).

(6) Cod. Th., VII, 13, 7 (ann. 375).

(7) *Id.* VII, 13, 12 (ann. 397) : « Publica suasit utilitas juniores in arma conscribere ; ideoque ne patrimonium quidem nostrum a præstatione præsenti immune esse patimur. Igitur per omnes provincias, per quas res nostra distenditur, ex patrimonio sacro maturitate quâ convenit, præberi volumus juniores... »

Qui tirones nunquam inter servos eligendi sunt (1), et illorum culpæ dominis etiam sunt noxiæ (2).

Ex incolis collecti milites forsitan in ea cohorte apparent Dalmatica, de qua Synesius mentionem facit, quam quidem tamquam filiam suam amore prosequitur, « quia, inquit, hujus legionis milites ex illa urbe orti sint, cujus episcopus sim factus (3) ».

Illos inter milites nonnulli aliquid retinent virtutis : de Balagritibus (4) dico et Unnigardis (5), et sagittariis ex equis pugnantibus, qui, quum sint pauci (6), attamen reliquum omnem exercitum provocare possint. Sed quadraginta tantum sunt Unnigardi : illos ad ducentos proferri frustra flagitat Synesius (7) ; et, quod ad Balagritas attinet, ex illis parvam manum, dum exercitum in expeditionem ducit, noster vir cogere potest (8).

Aliquid utilitatis et aliæ copiæ forsan præberent, nisi duces ipsi illas ad turbulentiam impellerent. Legitimo stipendio fruebatur exercitus : illud ab Alexandria aliquis illius urbis curialis (Βουλεύτης) certo die affert (9) ; sed Cerealius illud obtinet, quasi res militis jure sit ducis (10) ; et, pro stipendio quod retinuit, commeatus, militiæ vacationes

(1) *Id.* VII, 13, 11 (ann. 382) : « Quispis mancipium juris alieni in tirocinium militiæ duxerit offerendum, convictus ac proditus auri librum ærario nostro cogatur inferre... »

(2) *Id.* VII, 13, 5 (ann. 365?) : « Si quis ad fugienda sacramenta militiæ fuerit inventus truncatione digitorum damnum corporis expedisse, et ipse flammis ultricibus concremetur, et dominus ejus, qui non prohibet, gravi condemnatione feriatur... »

(3) Ep. 86.

(4) Ep. 131.

(5) Ep. 78.

(6) Ep. 107.

(7) Ep. 78.

(8) Ep. 131.

(9) Ep. 18.

(10) Ep. 129 *bis*.

concedit, et militibus jus eundi quo prædam acquirere sperent (1). Immo dux adeo est avarus, ut Balagritibus equos abstulerit (2). Ex equitibus sagittarii fiunt illi sine equo. Fiscus tamen a dominis exigit ut equos alant et illos conscribit, si opus est : « Habes, ait Synesius, ad suum scribens fratrem, habes duces equos multi cibi, quos ad conscriptionem alis : jube illos ad te duci (3) ». Iidem duces tantà sunt incuria, ut equorum collationem negligent, quam tamen lex quædam constituit (4).

Quibus rebus apparet ducum administrationi eadem fere inesse vitia, quæ præsidum administrationi. Itaque Synesium temporis tenet desiderium, quo Pentapolis, quod ad rem militarem attinet, Ægypto erat annexa. Facile igitur intelligi potest cur Cyrenaicæ militarem præfecturam abolendam velit (5).

Et sane in vituperandis, ut jam diximus, vel præsidis administrantis, vel ducis ipsius vitiis, Synesius noster, credo, aliquid iræ indulsit et in pejus res vulgavit. Attamen, in imperatorum rescriptis, ducum immodestiæ fit mentio (6) ; quorum vel præsidum adversus impotentiam civitatum defensores eligi a civibus licet (7). Et ceterum verisimile est incompositam et perturbatam fuisse rempublicam, quia munera publica distincta erant et sejuncta, et inter præsidem et ducem crebras exstitisse contentiones. De illis enim contentionibus, et apud Synesium ipsum

(1) Ep. 131.
(2) *Id.*
(3) *Id.*
(4) Cod. Theod., XI, 17, 1 (De equorum collatione), ann. 367.
(5) Ep. 94.
(6) Cod. Theod., VII, 4, 3 (ann. 357) : « Comes militaris rei per Africam constitutus contra vetitum species annonarias de conditis arbitrio suo dicitur usurpare... »
(7) *Id.*, I, 20, 2 (392), 3 (392). — Cod. Just., 1, 55, 8 et 9.

videret licet optimo Cyrenaicæ duci, Marcellino, litem a præside fuisse illatam (1).

(1) Ep. 62.

VI

DE CURIA CIVITATIS ET CONCILIO PROVINCIÆ

Sic paulatim, et in provinciis fere omnibus et in Cyrenaica, vires et virtutes amisit principis imperium, quod olim et cives et rempublicam componebat; nunc, contra, ad servandos cives irritum videtur et imbecillum. Itaque illi novos defensores et quærunt et flagitant, et novos dominos colunt. Nam, si soli sint, vel adversus avaros præsides vel adversus barbaros se defendere nequeant, et omnibus injuriis sint obnoxii.

Civitates, olim bene compositæ, jam aut nulla administratione fruuntur, aut pristinæ administrationis reliquias tantum retinuerunt. Medii cives ordinis vectigalibus et gravioribus et male exactis fuerunt oppressi; et curialium numerus cito decrevit, quia certe onerosissima facta sunt civilia munera (1); crevit contra senatorius ordo, quia

(1) Dig., L., 4, 1 : « Munerum civilium quædam sunt patrimonii, alia personarum. Patrimonii sunt munera rei vehicularis, item navicularis; decemprimatus: ab istis enim periculo ipsorum exactiones sollemnium celebrantur. Personalia civilia sunt munera defensio civitatis, id est ut syndicus fiat; legatio ad usum acipiendum vel patrimonium: suitatus: ναμηλακκα: annonæ ac similium cura: prædiorumque publicorum: frumenti comparandi: aquæ ductus: equorum circensium spectacula: publicæ viæ munitiones: ariæ frumentariæ: calefactiones thermarum: annonæ divisio et quæcumque aliæ curæ istis sunt similes. » — Cf. *Novell. Majoriani*, Tit. VII (Edit. Hænel): « Curiales nervos esse rei publicæ ac viscera civitatum nullus ignorat. Quorum cœtum recte appellavit anti-

principales civitatum senatorias immunitates adipisci cupiunt, ut a municipalibus muneribus vacent (1). Itaque fuisse et in Cyrenaica senatores quidam videntur. Ab imperatore Theodosio quidem jussum est illos, qui ad ordinem senatorium accesserunt, non omnino curialia vincula exuere (2) : illi vero fiscum effugere conantur, qui eis tributum ex censu indicit, et vectigal aliud, cui *prætura* nomen est. Infelices quidem senatores, inter quos Herodes, unus ex amicis Synesii, illud præturæ sane munus bis pendere coguntur (3). Et præses sæpe illos aut acriter insectatur, aut vectigalibus obruit, aut ad id perducit ut bona perfundant, si, senatoris Magni ad exemplum (4), pluribus muneribus publicis perfungi coacti sint (5).

Auctoritate vero sua utitur Synesius noster, ut a se et a suis vectigalia depellantur, ad quod, ceterum, gratiam non jus implorare videtur : quippe socrum fratris sui, cui nomen est Evoptius, e tributo erimendam esse contendit, referens Atheniensi Themistocli imperii ambitionem fuisse, quo parentes vel amicos gratia foveret (6). Porro ipse civile munus (λειτούργια) vel legationem aliquam effugere conatur, quod a principe sit immunitate quâdam præditus, quum Constantinopolim legatus petiverit (7). Quo satis

quitas minorem senatum, huc redegit iniquitas judicum exactorumque plectanda venalitas, ut multi patria deserentes, occultas latebras et habitationem elegerint juris alieni... Itaque factum est, ut et urbibus ordines deperirent... » (Anno 458).

(1) Cod. Theod., VI, 3, 2 (396) : « Senatoriæ functionis curiæque sit nulla conjunctio... » — *Digest.*, L. 1, 23 : « Municeps esse desinit senatoriam adeptus dignitatem, quantum ad munera... »

(2) *Id.* XII, I, 122 (390), Cf. Lécrivain. *Le Sénat romain*, p. 41.

(3) Ep. 38.

(4) Ep. 72.

(5) *Id.* λελειτουργήκως.

(6) Ep. 92.

(7) Ep. 99.

constat magnam civium partem publica munera effugere solere, et, uta ita dicam, extra civitatem vivere (1).

Christianorum vero quoque religio ad civitatis administrationem evertendam valuit. Et sane imperatores, constitutionibus vel edictis vel rescriptis, impedire conantur, ut curialia munera derelinquant cives : documento sunt leges illæ, quibus mandatur cives, tantummodo « muneribus expeditis » (2) sacerdotes fieri, et curiæ designare filium aut cognatum aut hæredem (3), vel curiæ ipsi patrimonium condonare (4) ; quod si curiales quidam « obsequia publica declinantes ad clericorum numerum confugerunt, procul ab eo corpore segregatos, curiæ ordinibusque restitui et civilibus obsequiis inservire » præcipitur (5).

Multi enim in Ecclesiam cooptantur, non tam quod Deum amant, quam quod curiam odere : quos Codex Theodosianus vehementer increpat (6) : cui legi documento est curialis ille Alexander, de quo Synesius mentionem facit, qui non alia ex causa monachus est factus (7).

Reliqui vero cives fisco obruuntur. Curia non jam consilium est politicum, quod de rebus publicis aut de civitate administranda decernat, sed fisci potius adjumentum, et, ut ita dicam, machinamentum.

(1) Cf. *Novellæ Majoriani*, Tit. VII (Ed. Hænel).

(2) *Id.* XII, 1, 75 et 99 (ann. 371 et 383).

(3) *Id.* XII, 1, 59 (364) : « Qui partes eligit ecclesiæ, aut in propinquum bona propria conferendo eum pro se faciat curialem, aut facultatibus curiæ cedat, quam reliquit — Cf. *id.* XII, 1, 115 (386).

(4) *Id.* XII, 1, 163 (399).

(5) Cod. Theod., XVI, 2, 3 (320).

(6) *Id.* XII, 1, 104 (383) : « Curiales qui ecclesiis malunt servire quam curiis, si volunt esse, quod simulant, contemnant illa quæ subtrahunt Nec enim eos aliter, nisi contemptis patrimoniis, liberamus... » Et præsertim, *id.* XII, 1, 6, 3 (365) : « Quidam ignaviæ sectatores desertis civitatum muneribus captant solitudines ac secreta, ac sub specie religionis, etc.

(7) Ep. 63.

Conantur enim imperatores, ut e rescriptis quæ ad civitates pertinent patet, a civibus vectigalia omnia pendi : quod eis esse maximæ curæ, leges quædam, in Theodosiano codice inscriptæ, ferunt (1). Præsidibus enim prohibent curiales ab ipsis immunes fieri (2). Curialis immo titulus curialium filiis indicitur vel invitis (3), et nemo ad decurionatum vocatus excusare se potest (4), nisi « omnium honorum et munerum civilium discussione perfunctus, juxta legem municipalem (5) » ; nec decurio ad senatum (6), vel curialis extra civitatem ad munus aliquot adspiret (7), mandatur.

Quippe curialibus, in civitate ipsa, gravia munera imponuntur. Eis enim primo peculiare quoddam adscribitur tributum, scilicet aurum coronarium (8), illisque præterea obtigit onerosum munus tributa ab aliis civibus exigen-

(1) Cod. Theod. XI, 7, 12 (383) : Potentiorum possessorum domus officium provinciæ rectoris exigere debet, decurio vero personas curialium convenire, minores autem possessores defensor civitatis ad solutionem fiscalium pensitationum spectatâ fidelitate compellere.,. » — Cf. *id.* VIII, 15, 5 (365) — XII, 1, 117 (387).

(2) Cod. Th., XII, I, 1 (313) : « Nemo judex civilium munerum vacationem cuiquam præstare curiali conetur, vel aliquem suo arbitrio de curiâ liberet. »

(3) *Id.*, *id.*, *id.*, 178 (415) : « Omnes qui curiali genere, origine vel stirpe, gignuntur, curiarum nexibus obtigentur... » — Cf. *id.*, *id.*, *id.*, 1. 184 (423) : « Liberos curialium .. originalem sequi conditionem opertet... etc.

(4) Cod. Th., XII, 1, 3 (316) : « Nemo autem ad decurionatun, vocatus excusare se poterit eo quod fuerit tabellio... »

(5) *Id.*, *id.*, *id.*, 5 (317).

(6) *Id.*, *id.*, *id.*, 8 (323).

(7) *Id.*, *id.*, *id.*, 1. 11, 12, 16 et 22 (ann. 325, 325, 329 et 336).

(8) *Id.*, XII, 18, 1 (262) : « Aurum coronarium minus est voluntatis, quod non solum senatoribus, sed ne aliis quidem debet indici, licet quædam indictionum necessitas postulaverit; sed nostro arbitrio reservari oportebit. » *Id.*, *id.*, *id.*, 2 (364) : « Omnes igitur possessores aut inter decuriones coronarium aurum, aut inter senatores glebalem præsentationem deinceps recognoscant... »

di (1); quod est eis necessarium et fere solum officium : in civitate enim administranda, nil aliud faciunt vel etiam decuriones quam apud acta municipalia judicia rescribere (2).

Eis autem privilegia quædam tribuuntur, sed exigua, quæ tantummodo pœnarum exigendarum immanitatem minuunt : sic codex Theodosianus præscribit « neminem omnino principalium ac decurionum, sub qualibet culpæ aut erroris offensa, plumbatarum cruciatibus esse subdendum (3) ».

Qui vero curiales, si sæpe ipsi fisco vexantur, ceteros cives rursus vexant, et in primis illi curiales, quibus est nomen *Principales*. His enim obtigit jus tributa adscribendi, quo sæpe ita utuntur, ut a pauperioribus dominis illud exigant tributum, quod ipsi pendere debeant (4).

Haud igitur est mirum, si curiales rem publicam negligent, suam tantum curent. Nulla sunt jam municipalia gesta in Cyrenaica, nec in cæteris provinciis, quamvis decurionum acta ordinare videatur Codex Theodosianus (5). Quorum gestorum frustra mentionem aliquam apud Synesium requiras.

Attamen, quum municipale concilium sit fractum et enerve, inquiramus saltem, an concilium provinciæ aliquid virium retinuerit, et civibus potestatem tribuat civitati administrandæ interveniendi.

(1) Digesta, L. I, 17. — C. Theod., VIII, 15,5 : « Præterea officiales atque municipes, qui exactiones quascumque susceperint... »

(2) C. Th., XII, 1, 151 (396) : « Municipalia gesta non aliter fieri volumus quam trium curialium præsentia, excepto magistratu et exceptore publico, semperque hic numerus in eadem actorum testificatione servetur.. »

(3) C. Th., XII, 1, 85 (381).

(4) Cod. Theod., XII, 1, 117 (387) : « Quilibet principalium vel decurionum vel decoctor pecuniæ publicæ vel fraudulentus in adscriptionibus illicitis vel immoderatus in exactione fuerit inventus... » Cf. Lécrivain, *Les Principales* (Ecol. fr. de Rome, T. IX), ann. 1889.

(5) *Id.* XII, 1, 151 (396).

Quæ sit, in Pentapoli, concilii provincialis ratio, vix perspicere possumus : de cujus enim origine nullum exstitit documentum (1). Synesius vero, in epistula XLIV, concilio cuidam se interfuisse dicit, et in illo verba fecisse. De concilio provinciæ fortasse agitur : nempe Synesius, qui postea fuit episcopus, municipali concilio non adfuisse videtur. Quo nomine in provinciali conventu interfuerit noster, documentum superstitit nullum. Commemorare tamen possumus, jure in concilia ista convenire « qui primatum honorantur insignibus (2), » scilicet curialium principes, inter quos nunquam fuit Synesius, et quoque viros « quos emeritos honor a plebe secernit (3) » ; immo illustri loco viri, nec muneribus functi, conciliis istis provincialibus, ex Sidonii Apollinaris epistula quadam, adfuisse videntur (4) ; quo jam non mirus est Synesius in conciliis res publicas tractans.

Hac epistula XLIV concilii provincialis formam et rationem dignoscere possumus. Ducem militarem abolendum et provinciam ad Ægypti præfecturam adjungendam flagitat. Velit quoque alienigenas, qui parum de provinciæ rebus laborant, milites inter non annumerari (ἀστράτειαν). Provinciæ præses legatum suum ad concilium misit ; ille quidem cum Synesio nostro de illis certat votis : legatus ille idem esse videtur, quem Synesius, alia in epistola (5), Andronici fautorem esse dicit. Concilium denique, secundum usitatam rationem, scripta tradit, scilicet *decretum* vel ψήφισμα (6) facit (ψηφίζεσθαι).

(1) V. Guiraud. *Les Assemblées provinciales dans l'Empire romain*, L. I, cap. I et II.

(2) Cod. Theod., XII, 12, 12 et 13 (392).

(3) *Id.*, XII, 12, 13.

(4) Ep. I, 6. — Cf. Fustel de Coulanges, I, p. 128 et 130.

(5) Ep. 79.

(6) Cod. Theod., XII, 12. De legatis et *décretis* legationum. — L. 1 (355) :

Decretum tamen illud nihil est aliud quam votum, quod plerumque parvi penditur. Legibus quidem imperatoriis præscribitur ut facile habeantur provinciarum concilia (1). Nec præsidis est concilii cujusquam decreta abolere : *desideria* vero *provincialium* prætorio præfectis *solis agnoscere atque explorare* permittunt imperatores, sibi *probationem ac judicium reservantes* (2). Nihilominus decreta ista haud semper per scrinia usque ad principum perveniunt, et cæterum præfecto prætorio mandatur, ut « provinciales desideriorum suorum decreta initio apud acta ordinariorum judicum prosecuti, ad sedis tuæ eminentiam mittant, ut impudentior petitio refutetur, aut justior petita commoda consequatur (3) ». Raro autem concilium provinciæ majoris erat momenti apud principem (4).

In illo provinciali concilio Synesius sane secundam Catastasim recitavit, qua ducem Anysium laudat. Quo apparet concilia provinciæ de laude et vituperatione decernere. Porro epistula, quæ LXII inscribitur, quod decrevit concilium fortasse exprimit : quam Synesius scripsit sive nomine urbis Ptolemaidos, sive totius provinciæ, ut aut ducem Marcellinum, aut præsidem magistratu abeuntem laudaret

Interdum etiam concilium provinciale, irrito non contentum voto, legatos mittit ad principis aulam. Quod cavent rescripta multa, ita ut legatorum provinciæ numerus cons-

In Africanis provinciis universis consiliis liberam tribuo potestatem, ut congruente arbitrio studii condant cuncta *decreta*, aut commodum quod credunt. — L. 3 (364). « Provinciales desideriorum suorum decreta, initio apud acta ordinariorum judicum prosecuti, ad sedis tuæ eminentiam mittant... » — Cf. Guiraud, op. cit., Lib. I, cap. 8 et Lib. II, cap. 6.

(1) Cod. Th., XII, 12, 1 et 9 (355 et 382).

(2) *Id.*, XII, 12, 12 (392).

(3) Cod. Th., XII, 12, 3 et 4 (364).

(4) Guiraud, op. cit., II, cap. 6. — Ammianus (XXVIII, 6, 9) memorat de legatione quâdam a magistro officiorum esse relatum.

tituatur (1). Quas legationes non impedire debent præsides (2). Legationes vero istas, de quibus Synesius mentionem facit, a concilio Pentapoleos provinciæ missæ esse videntur. Anastasius quidam, ex Synesii amicis, ad aulam legatus est (3), et Synesius ipse ad, principem Arcadium orator provinciæ missus fuit (4).

Quam parum vero valeant et quam sint impotentia concilia ista, legationes ipsæ documento sunt. Ceterum nec in concilio nec in curia cives spem collocabant. In provincia enim jam surgunt et apparent auctoritate nova homines, qui paulatim ducem et præsidem præcellent, et ad quos sponte sua populi confugiunt.

(1) Cod. Th., XII, 12, 7 (380).
(2) *Id.*, *id.*, *id.*, 1 et 8 (355 et 382).
(3) Ep. 79.
(4) Ep, 61 et 99. — Cf. πέρι ἐνυπνίων IX — et Ὕμνοι III, 427.

VII

DE POTENTIBUS

Quinto in seculo post Christum natum, per totam Pentapolim, et per alias sane provincias, apparent, coram et præsidibus et ducibus, viri quidam « potentes », qui principis ministris palam obsistunt, propter quod apud cives magnæ sunt existimationis. Quorum erant, verisimiliter in Cyrenaica, et in cæteris provinciis, missi dominici, sive *palatini ;* præsides adjuvare et tueri, sed quoque illis advigilare, hoc illorum erat munus, hoc officium. Re tamen auctoritatem præsidum atterere conabantur, non tam ad imperium principis augendum, quam ad opes conquirendas (1). De illis palatinis apud nostrum nulla est mentio.

Porro immunitates, primum ordini senatorio datæ, deinde principalibus, qui, in primis, adversus et præsides et duces sunt protecti, auctoritati præsidis multos provinciæ cives subtraxere (2).

Nascitur quoque, jam ex primis temporibus, in imperio, ordo quidam feudalis, quem præsides frangere non possunt, quique, auctis latifundiis, et latifundiorum immunitatibus, firmatus est. Quæ multa latifundia sæpe extra civitatis

(1) V. Lécrivain, *Le Sénat romain*, p. 57 et 98

(2) Cod. Theod. XII, 1, 61 (364) : « Urbis Vulsiniensium principales, qui tamen patronorum adepti fuerint dignitatem, hanc prærogativam laborum atque officiorum ferant, ne interdum ad libidinem prave consulentium judicum gravibus afficiantur injuriis... »

agrum latescunt : illis nomen *saltus*, vel etiam massa (1). Saltus autem in duas partes distribuitur : primo, *villam prætoriumve*, quo habitat dominus aut ejus procurator ; deinde quasi pagum, in quibus sunt *casæ*, *vici*, *castella*, silicet colonorum sedes (2).

Saltus quidem a Synesio possessus fuisse videtur : huc æstate confugit, otia ruris et delicias quærens (3) ; hæc vero ejus domus, in qua sedet, sane quasi castelli mœnibus circumdatur (4), quam cum paganis vel colonis suis adversus barbaros defendit (5).

In saltibus suis, in castello suo, fere sui juris manet latifundiorum dominus. Ab eo quidem, qui erga civitatem officio quocumque solutus est, vectigalia exigendi adhuc imperator, scilicet præses, jus habet (6). Re vero, tributa ad suam voluntatem pendit : in rescriptis enim, sæpe queruntur imperatores de fisco a potentibus contempto (7), immo de fisco a curialibus vel etiam a colonis, potentium auxilio, defraudato (8).

(1) Ed. Baudouin, *Les grands domaines de l'Emp. rom.*, p. 8-9.

(2) *Id.* p. 22-23. — Frontin (53, 7) : « Habent autem in saltibus privati non exiguum populum plebeium, et vicos circa villam... »

(3) Ep. 147. Cf. ep. 32 et 144 et *Calvitii Encomium*, 4.

(4) Baudouin, op. cit., p. 28.

(5) Ep. 132.

(6) Cod. Th., XI, 7, 12 (383) : « Potentiorum possessorum domus officium provinciæ rectoris exigere debet... »

(7) *Id.* XIII, 10, 1 (313) : « Quoniam tabularii civitatum per collusionem potentiorum sarcinam ad inferiores transferunt... » — Cf. *id.*, XIII, 11, 3 : « Si peræquatore misso aliquis aut procuratorem suum retraxerit, aut colonum ad contumaciam retractationis armaverit, ad eum censuum modum, quem vel eo vel procuratore illius absente peræquator apposuerit, ad nostræ sanctionis auctoritatem tenebitur... »

(8) *Id.* XI, 24, 4 (399) : « Omnes ergo sciant non modo eos memoratâ multâ feriendos, quis clientelam susceperint rusticorum, sed eos quoque, qui fraudandorum tributorum caussâ ad patrocinia solita fraude confugerint, duplum definitæ mulctæ dispendium subituros. » — Cf. Cod. Just. XII, 1, 146 : « Multos animadvertimur, ut debita præstatione patriam defraudarent, sub umbra potentiam latitare... »

Illos enim tuentur latifundiorum domini, qui ad eos, ut ad patronos, confugiunt clientes : quibus *patrocinium*, vel imperatoribus invitis, a potentibus imponitur (1).

Præterea autem, e secundo seculo post Christum, potentes judicibus obsistunt : jam præsidibus mandatur ut illis resistant (2). Quo enim sub patrocinio, illos in jure suo tenere nituntur : ita ut in privatos carceres reos mittant (3). Eo audaciæ potentes procedunt, ut in saltus, reorum sæpe perfugia, penetrare præsidis actores nequeant (4). Documento enim sunt ipsa rescripta illa, quæ tantam audaciam insectantur. Nonne ceterum judex a latifundiorum dominis desertores vel latrones petere cogitur ? (5) Illi enim omnes qui in fundo habitant jam domini *homines* dicuntur, ita ut lege ipsa patrocinium illud comprobetur (6).

Qui potentes non solum fisco stipendiarios vel judicibus reos eripere valent. Ipsi vero etiam omni licentia et injuria utuntur. Illis de injuriis sæpissime in codicibus agitur :

(1) *Id. id.* — Cf. *id.* XI, 24, 2 (370?) : « Abstineant patrociniis agricolæ... » et *id. id.* XI, 24, 5 (399) : « ... severiorem pœnam nos addidisse cognoscat, ut, si quis agricolis vel vicenis propria possidentibus patrocinium repertus fuerit ministrare, propriis facultatibus exuatur... »

(2) Cod. Theod. I, XVI, 4 (328) : « Præsides provinciarum oportet, si quis potiorum exstiterit insolentior, et ipsi vindicare non possunt, aut examinare, aut pronuntiare nequeunt, de ejus nomine ad nos referre... »

(3) *Id.* IX, 11, 1 (388) : « Si quis posthac reum privato carceri destinavit, reus majestatis habeatur... »

(4) Cod. Theod. XIII, 11, 3 (386).

(5) *Id.* IX, 29, 2 (383) : « Latrones quisquis sciens susceperit, vel offerre judiciis supersederit, supplicio corporali aut dispendio facultatum pro qualitate personæ et judicis destinatione plectetur. » Cf. *id.* VII, 18, 7-8-9-12 (ann. 383, 383, 396, 403). — Cf. etiam *id.* XVI, 5, 52 § 1 (ann. 412) : « Qui nisi a conductoribus, sub quibus commanent, vel procuratoribus exsecutori exigendi fuerint præsentati, ipsi teneantur ad pœnam... »

(6) *Id.* XIII, 1, 3 (ad Senatum) (ann. 361) : « Rusticanos colonosque *vestros* inter negotiatores describi non oportet... » Cf. *id.* XIII, 11, 16 (417) : Quod si quis eo tempore, quo peræquator prædium alicui addicit, de suo jure vel per se vel per *homines suos* non crediderit actitandum... »

potentes enim ipsi vel eorum procuratores sæpe delinquunt (1), in litibus titulis et privilegiis abutentes (2), vel humiliores injuriis adficientes (3), denique iniqua lucra aut damna plurimum afferentes (4).

Rectorum præterea potestati audacter obsistere non cunctantur. Nam illis non parvæ sunt vires, qui in fundis militum manus comparant. Jure quidem civibus arma prohibentur (5); re vero ab armatis viris et militibus, in urbe vel rure, persæpe circumdantur potentes, quod frustra imperatores rescriptis multis impedire conantur (6).

Attamen interdum, cum militibus privatis illis, quibus nomen est sæpe *bucellariis* vel etiam δορυφόροις vel ὑπασπισταῖς (7), latifundiorum domini provinciam adversus invadentes barbaros defendunt : ita, apud Arvernos, cum suis Edicius contra Wisigothes congreditur (8) ; ita, in Pentapoli adversus nomades Synesius ipse (9).

Quanta auctoritate fruantur potentes illi vel δυναστεύοντες, Synesii epistula 134 plane illustrat. Illa enim in epistula de

(1) *Id.*, I, 16. 14 (408) : « Moderatores provinciæ causam gerere jubemus, ne quid potentium procuratores perperam illiciteque committant... »

(2) *Id.* II. 14. 1 (400) : « Animadvertimur plurimos injustarum desperatione caussarum potentium titulos et clarissimæ privilegia dignitatis his, a quibus in jus vocantur, opponere... »

(3) Digest., I, 18, 6 : « Præses provinciæ provideat. . ne potentiores viri humiliores injuriis adficiant, neve defensores eum calumniosis criminibus insectentur innocentes... »

(4) *Id. id. id.:* « .. ne quis iniquum lucrum aut damnum sentiat. » — Cf. supra in nota 1.

(5) Cod. Theod., XV, 15, 1 (364) : « Nulli prorsus nobis insciis atque inconsultis quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur. » (Anno 364).

(6) Cod. Just., IX, 12, 10. - Cf. Baudouin. op. cit., p 200 et sq. — Cf. etiam Lécrivain, *Les soldats privés au Bas-Empire* (Ecole fr. de Rome, X, 1890, p. 267 et sq.)

(7) Lécrivain. *Les soldats privés au Bas-Empire.*

(8) Sidonius Apoll. Ep. 3, 13.

(9) Ep. 108, 122.

Pæmenio quodam agitur, qui potentis cujusdam, Artabazaci, rationes et bona procurat. Artabazaci tantæ erant opes, ut Pæmenius, si voluisset, multis nocere potuisset : maluit, quod rarissimum erat (1), illis uti ad Pentapoleos utilitatem : ideoque, quum abiit, tota provincia illum lacrymis est prosecuta.

Feroces ergo illi potentes, qui, ut Synesius noster, majoribus suis superbiunt, imperatoribus timendi ita videntur, ut a Constantino ad Justinianum omnia fere rescripta præfectis aut præsidibus jubeant, ut potentibus obluctentur. Frustra vero : jam cives ad illos agrorum dominos confugiunt, qui præsidibus vel imperatoribus ipsis ditiores, fortiores et provinciæ utiliores videntur.

(1) Cod. Theod. 1. 16. 14. (V. supra, p. 40. note 1.).

VIII

DE EPISCOPORUM AUCTORITATE

Provincias administrare eo difficilius est præsidibus, quod jamdudum, fatentibus imperatoribus, quasi publica administratio facta est Ecclesia, per quam grandescit nova quædam potestas : de episcoporum auctoritate dico.

Ecclesia enim civitatem invaserat, et quia tum religio vigebat et pietas, et quod cives ipsi episcopos creabant. Nempe episcopum eligere hoc civitatis maxime erat cura. Quâ ratione episcopi eligerentur a duabus Synesii epistulis videre possumus (1).

Quum mortuus est episcopus, se comparat ecclesia ad διάδοχον ejus deligendum. Civitatis clerici et sacerdotum concilium (ἐν συνεδρίῳ παρά τῶν πρεσβυτέρων) metropolitam vocat, ut electionis (αἵρησις) sit particeps. Venit ergo metropolita, populumque cogit et concilio præsidet (ἐκκλησίασας). Interdum quidem oritur quidam tumultus : tum apparitores et sacri præcones, jubente metropolita, turbatores expellunt. Nonnunquam facilis est electio : nam si notum est aliquod nomen, hoc a civibus statim acclamatur. Sæpius contra, plures candidati inter se æmulantur, qui jamdudum episcopi mortem exspectantes, ambitu, ære dato, promissis (2), et cives et clericos ad suas partes adducere

(1) Ep. 67 et 76.

(2) Ep. 67 : « ὠνίους... εἴ τις ἐμμίσθως, εἴ τις κάτα χρέιον ἢ χάριν.

conati sunt. Jam electioni metropolita aliquoties intervenit, et nomen alicujus aut amici aut clientis sui proponit; quem si aversantur cives, eis minitatur (1). Sed,quem cives episcopum elegerunt, ille agnoscendus et renuntiandus est a patriarcha, qui de electione sine provocatione decernit (2).

Illud adnotandum est, episcoporum potentiæ populi suffragium, quum tamen electioni metropolita interveniat (hic patriarcha archiepiscopus Alexandriæ), esse fundamentum. Ἐἰς ἀρχαιρέσιαν (3) vera conveniunt comitia : a populo sane mandatum suum et officium episcopus accipit. Qui igitur hujus temporis episcopi, quod a populo sunt creati, ad res publicas animum intendere coguntur.

In primis vero de rebus sacris decernunt, religionem curant, dogmata servant : si Eunomii, per speciem aut negotia agendi aut lites intendendi, in Pentapolim veniunt, ut doctrinam propagent suam, episcopus illos insectatur et damnat et expellendos esse dicit, quod et a diabolo sint missi, et animas quasi latrones rapiant (4). Porro episcopus sanctam monachorum vitam laudat, vel cives hortatur ut religioni se totos addicant (5), vel etiam interdum ipse monasteria condit (6). Monachorum disciplina ut constans sit, curat quoque episcopus (7). Mores clericorum corrigere

(1) *Id.*: « εἰς τὸ καὶ πεῖσαι, καὶ εἰ προχορόιη, βιᾶσασθαι.

(2) *Id.*: « τὸν κύριον τῆς χειροτονίας.

(3) *Id.*

(4) Ep. 5 et 45. Negabat Eunomus, Cyzicæ episcopus, Dei filium hominem factum esse. — Hœresis illa in Theodosiano codice denuntiatur (XVI, 5, 6), anno 381 : « Photinianæ labis contaminatio, Ariani sacrilegii venenum, *Eunomiæ perfidiæ crimen* et nefanda monstruosis nominibus auctorum prodigia sectarum ab ipso etiam aboleantur auditu. — Cf. *id.*, *id.*, 1, 8, 11, 12, 13, 17, 25, 31, 32, 58. Attamen non de illa severe mentionem facit lex 23 (ann. 394).

(5) Ep. 146.

(6) Ep. 126.

(7) Ep. 67, § 3.

errantes sacerdotes (βασκάντιδοι) coercere, qui in nullius ecclesiæ dogmata jurare volunt, et huc tantum conveniunt quo et opes parare et honores colligere possint (1). Hoc episcopi officium, illa cura. Si denique vel episcopi vel clerici inter se discrepant, aut componit lites, ut disceptator, episcopus metropolita, aut de illis inter clericos decernit (2).

In excommunicatione vero præsertim apparet episcopalis auctoritas, qua ecclesiæ suæ supremum dominum se gerit (3).

Illa tamen officia omnium, in temporibus omnibus, sunt episcoporum. In quinto seculo, contra, episcopus non tam est sacerdos quam magistratus. Quippe præsidum potestas, certis legibus non definita, nil aliud videtur quam intemperata dominatio. Itaque multis in rebus interponitur episcopus, ut dominationem illam finibus circumscribat, cives opprimi non sinat, res civium agat. Quodam modo, pristinum plebis tribunum refert, et exprimit, et sæpe, perinde ac tribunus, vetandi quodam jure sacro utitur (4).

Itaque, quoniam episcopus non modo de rebus sacris sed etiam de civium rebus curat, facilè dignoscas quibus ex causis et quo animo populus episcopum eligat. Illum enim non tantum sacerdotem esse cupit, sed etiam magistratum et defensorem suum adversus præsidis immodicam potestatem. Documento est Sanctus Ambrosius, qui ad sacrum baptismi fontem non accesserat, quum a Mediolanensi

(1) Ep. 67, § 5.

(2) *Id.*, § 3. — *Novell. Valentiniani* (Edit. Hœnel), Tit. XXIV, 1 : « Cum inter clericos jurgium vertitur, et ipsis litigatoribus convenit habeat episcopus licentiam judicandi, præeunte tamen vinculo compromissi... »

(3) Ep. 58. De Andronici excommunicatione.

(4) Ep. 105 : « χρῆ δέ αὗτον καὶ πράγματα πράττειν ὅσα πάντες ἅμα. Τὰ γὰρ ἁπάντων μόνον δεῖ πράττειν, ἢ πάσαις ἀιτιάις ἐνέχεσθαι.

populo creatus est episcopus. Et Synesius quoque vix adhuc antiquum cultum exuerat et ad christianam religionem transierat ; jamvero placita philosophorum etiamnunc diligebat, illa quidem quæ cum christiana religione non conjurant, et in Sanctis Scriptis rudis erat, et fere ignarus, quum Ptolemaidos cives illum creaverunt episcopum (1).

Non tamen audacter et sine quadam dubitatione episcopi quidam pro civibus cum præside colluctantur. Res enim et multi laboris erat, et quæ aut novas lites, aut novas administrationis molestias movere et creare posset : quod periculum noster plane perspiciebat (2).

Sed, vel inviti, de rebus publicis agere debent episcopi, præsertim quum, metropolitanam gerentes ecclesiam, quotidie præsidi obsistere necesse habent. Id Ptolemaidos episcopo accidit, qui Cyrenaïcæ est metropolita (3), ideoque et inter potentes provinciæ eminet, et de totius provinciæ rebus cognoscit. Ipse sane ab Alexandriæ patriarcha pendet ; sed, in Cyrenaica, quod ad res religionis attinet, de illis sine provocatione decernit. Jamvero plures episcopi ab illo pendent. Quorum qui sit numerus difficile dicas : numerus enim ille haud certus est, et tum crescit, et tum contra minuitur. Documento est vicus cui Palæbisca nomen est, et de quo Synesius mentionem fecit : pendebat enim primum vicus ille ab Erythres episcopali ecclesia ; postea, sibi episcopum creavit ; quo mortuo, in gremium Erythres redierunt cives (4). Quum oriuntur lites inter Pentapoleos episcopos, illarum Ptolemaidos episcopus et

(1) Ep. 13.

(2) Ep. 57, § 9.

(3) Ep. 66 : « τὰ μήτρωα τῆς πολέως. — Ep. 67 : « τὴν μητροπόλιτιν ἐκκλήσιαν.

(4) Ep. 67.

quasi judex (1). Præterea, ut antea diximus, in episcopis eligendis, non sine auctoritate et pondere interponitur.

Ptolemaidos igitur episcopus omnium Cyrenaicæ episcoporum quasi dux est. Proinde quæ jura, quam auctoritatem sigillatim illi habent, illa veluti in unum colligit fascem. Quo non est mirum, si, in omnibus rebus, aut sacris aut civilibus, totius provinciæ veluti patronus, cives suos tueri conetur.

Ceterum, ut civilibus publicisque rebus se immiscerent episcopi, stimulaverunt christiani imperatores, qui clericis faverunt et illis multa concesserunt privilegia. Exempti enim e tributis et municipalibus muneribus (2), immunes sunt omnes clerici ; quibus jam, in anno 313, Constantinus imperator « indulta privilegia » confirmat (3). Porro non fas est episcopum ad quæstionem ordinariam et ad ordinarium judicem in jus vocari : tribunal enim illud, ex episcopis constitutum, tantummodo de episcopo decernit (4). Mox etiam, post legem in anno 412 latam, de rebus quibus est clericus implicitus episcopi judicant (5).

(1) Ep. 67.

(2) Cod. Theod., XVI, 2, 10 (353) : « Ut ecclesiarum cœtus concursu populorum ingentium frequentetur, clericis ac juvenibus præbeatur immunitas, repellaturque ab his exactio munerum sordidorum, etc... » Cf. *id.* XVI, 2, 24 (377) : « Presbyteros, diaconos, subdiaconos, atque exorcistas et lectores, ostiarios etiam et omnes perinde qui primi sunt, personalium munerum expertos esse prœcipimus. » Et etiam *id.*, XVI, 2, 11 (354).

(3) *Id.*, XVI, 2, 1 (313), et XVI, 2, 2 (319), in quâ dicitur : « Qui divino cultui ministeria religionis impendunt, id est hi, qui clerici appellantur, ab omnibus omnino muneribus excusentur... »

(4) Cod. Theod., XVI, 2, 12 (355) : « Mansuetudini nostræ lege prohibemus in judiciis episcopus accusari... Si quid est igitur querelarum, quod quispiam defert, apud alios potissimum episcopos convenit explorari... »

(5) *Id.*, XVI, 2, 41 (412) : « Clericos non nisi apud episcopos accusari convenit... et *id.*, *id.*, 47, § 1 (425) : Clericos etiam, quos indiscretim ad sæculares judices debere deduci infaustus præsumptor edixerat, episcopali audientiæ reservamus... »

Ab Ecclesia nascente, de causis ad religionem pertinentibus cognoverunt sane episcopi : quod edicto, anno 399 proposito, princeps comprobat, dicens : « Quoties de religione agitur, episcopos convenit agitare (1) ». Sed in primis temporibus, in causis etiam quæ ad religionem non pertinebant, fideles episcopis, si non judicibus, at certe arbitris usi sunt. Hortantur enim christianos sanctus Paulus (2) et alii quidem apostoli, ut ad episcopum potius eant arbitrum quam ad judicem (3). Itaque persæpe videas episcopos in litibus inter fideles componendis versatos. Sanctus enim Augustinus dicit S. Ambrosium adeo totum esse in litibus, ut nunquam cesset et otio frui possit (4) ; seque ipsum dicit « litibus dirimendis, » sæpe occupatum esse (5). Quorum judiciorum rationem et formulas in Apostolicis constitutionibus (6) invenimus. Nulla certe post arbitrium erat civilis sanctio ; sed, si quis Ecclesiæ legibus et disciplinæ obtemperare nolebat, hunc episcopi ex Ecclesia expellebant.

Christiani autem principes episcopos ex arbitris in veros judices mutaverunt.

Constitutio enim, anno 321 lata, jubet ne judices laici de his litibus decernant, quas litigatores ex utràque parte, sponte suà, ad episcopum detulerint (7). Tres postea consti-

(1) Cod. Th., XVI, 11, 1 (399).

(2) Ad Corinth., I, 6 : « Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos et non apud sanctos ? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt ? Secularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad judicandum. »

(3) Cf. Beauchet, *Nouv. Revue historique du Droit*, anno 1883, p. 401 et sq.

(4) *Confess.*, c. 8.

(5) De *Psalm.* 119.

(6) Lib. II, c. 4, 7. — Cf. Beauchet, op. cit.

(7) Constitut. Sirmond. (Edit. Hænel), XVII (ann. 321) : « Judex pro sua sollicitudine observare debebit, ut, *si ad episcopale judicium provocetur, silentium accommodetur.* Et si quis ad legem christianam negotium

tutiones ab Arcadio vel ab Honorio latæ gravem illam attributionem agnoscunt et corroborant (1).

Porro hortantur episcopos christiani principes ut rei publicæ gerendæ et administrationi urbium provinciarumque consulant (2). Episcopi quidem, centum annos post Synesium mortuum, scilicet Justiniano regnante, ad rempublicam accedunt et quasi præsidum munus explent : jubet enim Justinianus illos hebdomade carceres convisere, et rogare cur homines sint damnati et in vincula conjecti ; præcipit quoque episcopis ut magistratus ad memoriam officiorum, quæ sustinere debeant, revocent ; et, si in officiis claudicent rectores, est episcoporum Principem de illa negligentia certiorem facere (3).

Jam vero, in Novellis 86 et 123, majora permittit Justinianus : nam, si præses aliquam admiserit injuriam, et aliquem jus suum persequentem repulerit, præsidem interpellare, ut munus ejus exsequatur, potest episcopus ; si resistat præses, ad Principem rem refert episcopus, ut judex puniatur. Denique, si episcopus justis ex causis timet, ne aut præses, aut alius laicus judex partibus faveat, illis se socium addit ad red dijudicandam. Præterea, si litem faciat civibus præses, aut cives præsidi, jure episco-

transferre voluerit, et illud judicium observare audietur, etiamsi negotium sit apud judicem inchoatum, *et pro sanctis habeatur quidquid ab his fuerit judicatum* : ita tamen ne usurpetur in eo, ut usus ex litigantibus pergat ad supradictum auditorium et arbitrium suum enunciat... » Cf. Eusèbe, *In vita Constant.*, 10, 27 : « Constantinus cuivis judici præferendos esse dixit sacerdotes Dei. »

(1) Cod. Just., I, 4, 7 et 8 : « Episcopale judicium ratum sit omnibus, qui se audiri a sacerdotibus elegerint, eamque illorum judicationi adhibendam esse reverentiam jubemus... » (L. 8). — Cf. Cod. Th., *De religione*, XVI, 11, 1 (399).

(2) De episcoporum auctoritate, cf. Diehl, *Etudes sur l'administration byzantine* dans l'*Exarchat de Ravenne*, L. IV, cap. 3.

(3) Cod. Justin. De episcopis audiendis, I, 4, 22.

pus in illa causâ judex est. Denique sunt lites quœdam, quas, jussu et delegatione Principis, solus instruat et judicet (1).

Igitur ferè omnia illa officia, ante Justinianum, fuisse episcoporum, non sine causâ ponere possumus. Illorum saltem est caput et fons, et, ut ita dicam, germen, potestas illa judicandi, quam et Constantinus, et, post Constantinum, Arcadius et Honorius episcòpis concesserant. Jam enim Theodosius secundus et Honorius episcopos fecerant administrationis participes, quum illis jus dedissent curandi, ut damnati in carceribus devincti humanè tractarentur (2).

Quæ altius et sigillatim diximus, repetamus et fascem colligamus. Eligitur ergo episcopus a civibus. Non tantum in provincia, in urbe, summus est sacerdos, sed etiam patronus, magistratus, politicum caput. Principes ipsi illud agnovere. Et morem qui invaluit, ut episcopus administrationi interveniat, si aut avarus sit præses, aut dux imperitus, illum usus, leges, rescripta acceperunt. Non mirum est igitur, si Synesius noster, qui jam unus erat inter dites agrorum dominos, quum Ptolemaidos metropolita sit electus, adeo illo honore sit auctus, ut ejus consilia, in administranda Pentapoli, multum valuerint.

(1) Nov. 123, c. 21.

(2) *Constitutiones Sirmondi* (Ed. Hænel). XIII : De confugientibus ad ecclesias, etc... « Eam quoque sacerdoti concedimus facultatem, ut carceris ope miserationis aulas introeat, medicetur ægros, alat pauperes, consoletur insontes, et cum singulorum caussas cognoverit, interventiones suas apud judicem competentem pro jure moderetur... Scimus enim idque crebris auditionibus supplicantum, frequenter ideo plerosque in custodia detrudi, ut adeundi judicis libertate priventur... »

IX

QUOMODO SYNESIUS REM PUBLICAM ATTIGERIT

ANTE EPISCOPATUM

Satis constat Synesium non sine auctoritate et pondere administrationi provinciali intervenisse.

Ante annum 397 post Christum, concilium provinciæ eum mittit legatum ad Principem (1). Synesius tum juvenis est et sane septem et viginti annos natus (2). Sed, quod genere ingenioque valet, quia et latifundiis potens est, et litteris peritus rhetor habetur, cives sperant ab illo Cyrenaicæ vota præclare esse exprimenda. Non quidem ad legationem explendam solus mittitur : a codice enim Theodosiano tres legatos a provinciæ concilio mittendos videmus (3) : legationis, vero, ut ita dicam, orator et princeps fuit Synesius (4).

Qua legatione perfungi difficile fuit. Quippe Principis palatium et partibus et varia ambitione turbabatur. Illo

(1) Affirmat enim Synesius se a Constantinopoli, consule Aureliano, discessisse, — id est in 400 (Ep. 61) et ibi tribus annis permasisse (*Hymn.* III, v. 4 — *De insomn.*, cap. 18).

(2) Videtur Synesius anno 370 natus. Cf. Migne, *Patrologia*, et Schneider, op. cit., cap. *Quo anno natus sit Synesius*.

(3) Cod. Th., XII, 12, 7 (380).

(4) Klausen credit Synesium solum legatum fuisse. V. Schneider, op. cit., cap. *De legatione ad Arcadium*, f. 18 et sq.

enim in tempore, Eutropius, Gaïnas et Eudoxia imperatrix de imperio contendebant, et Chrysostomus quoque patriarcha præpotentis Eutropii tyrannidem frangere conabatur. Vidit Synesius quam imbecillum esset principis imperium : et quantum magni Ecclesiæ episcopi magis et magis gratiâ valerent (1).

Nullam fere aliam utilitatem Synesius ex legatione percepit. Annos enim, per quos Constantinopoli vixit, suæ vitæ infelicissimos esse dicit : « O regem vasti mundi, ait noster in quodam hymno (2), en adsum qui votum persolvam quod in Thracia feci, in qua tres annos habitavi ad regalem domum quæ universis imperat terris. O me infelicem ! Quos labores, quas pertuli curas, quum humeris sustinerem meis totum pondus patriæ e qua ortus sim. »

Et sane, per tres annos legationis, molestias et fastidia persæpe passus est (3). Attamen ad se conciliaverat plures viros eruditos, qui illum plurimi faciebant, quia inter illos excellebat, e quibus Cyrenaicum Πανελλήνιον constabat. Documento sit epistula quam ad Aurelianum consulem scripsit : « Nulla alia gratia quam tua opus est *oratori*, quem e familiaribus tuis esse voluisti (4) ». Porro Pœonius comes, quem unum e proceribus imperialis aulæ Synesius esse dicit, et cui astrolabium dedit (5) ; Simpliciusque, qui magister utriusque militiæ postea factus est (6) ; illum consiliis et auctoritate suâ juvaverunt.

Auditum principis diu optatum tandem impetravit. Coram principe hanc se habuisse refert orationem, quæ *De Regno*, sive Περὶ βασιλείας inscribitur : Ut infelici suæ

(1) Cf. Amédée Thierry.

(2) III, v. 427 et sq. Cf. *De insomn.*, cap. 18.

(3) Cf. Ep, 61, in quâ narrat se ante palatium dormivisse.

(4) Ep. 34. — Cf. ep. 61

(5) Ep. 127. — Cf. *De dono astrolabii sermonem* et Ep. 153 ad Hypatiam

(6) V. Ep, 134 de Simplicio et Epist. 24, 28, 130 ad Simplicium scriptas.

patriæ suppeditaretur rogabat, quam Barbari vexarent et popularentur. Magnâ cum libertate et ferocitate verba fecit : immo aulæ corruptos mores et luxuriam principisque fastum est insectatus. Rationem fisci reprehendit, qui provincias exhauriebat. Se indigne ferre dixit quod Gothi, quasi id non romano dedecus esset, in aulâ Valentis et Theodosii, tantum auctoritatis obtinuissent et jam omnia tentare potuissent. Refertus denique Platonis, Dionisque philosophi sententiis, de verâ gubernandi arte disputat, et qua arte bonus Princeps rem publicam gerere debeat ostendit. Quapropter, haud sine ratione, postea gloriatur quod libertate loquendi, quâ non alii Græci, apud Principem est usus (1).

Quid ex illa legatione effectum sit, nescimus. Quasdam sibi immunitates consecutus est, quibus quidem frui noluit (2). Fortasse a nonnullis tributis Pentapolis fuerit exempta. Contendit utique legationem suam patriæ non inutilem fuisse : « Divinatio, inquit, in libello qui de Somniis inscribitur (3), magnæ mihi fuit utilitati ; quâ fultus, munus meum sustinui et (Lybiæ) urbibus e legatione magnas attuli utilitates. »

In anno 400 (4), quum factus est terræ motus horrendus (5), Constantinopolim quam citissime deserit et patriam petit suam. Hic vero invenit cives suos metu territos. Nempe magis atque magis populos Barbari vexant :

(1) *De insomniis*, § 9 (in Edit. Migne) : Ἐπιβουλάς τε γὰρ ἐπ'ἐμὲ ψυχοπομπῶν γοήτων ἀκύρους ἐποίησε, καὶ φήνασα, καὶ ἐξ ἁπασῶν περισώσασα, καὶ κοινὰ συνδιῴκησεν, ὥστε ἄριστα ἔχειν ταῖς πόλεσι, καί ἐς τὴν βασιλέως ὁμιλίαν τῶν πώποτε Ἑλλήνων θαῤῥαλεώτερον παρεστατυ. »

(2) Ep. 99.

(3) § 9.

(4) Schneider. op. cit., f. 20 et sq.

(5) Ep. 61.

in annis 401 et 406 crescit Barbarorum audacia, et provincia diripitur (1). Nullus adest, qui illos repellat : nam milites, quia et alienigenæ sunt plerique et fere barbari, cum barbaris consilia consociant. Duces porro, ut jam dictum est (2), imperiti sunt aut ignavi. Et cives quoque imbelles sunt et salutem non a se sed ab aliis petunt.

Quæ quum ita sint, grandescit Synesii auctoritas. Etenim, quia latifundiorum est dominus, quæ ipse colit (3), et obnoxius Barbaris est, et ideo permultum ejus interest Barbaros repelli. Temporibus mox et discrimine ad id impellitur, ut primas agat partes in Cyrenaicâ defendendâ. Defensionem ergo parare conatur. Fugit miles gloriosus quidam, cui Phrygius Joannes nomen est, et, timens periculum, Bombæam arcem petit (4) ; non aliter, Cerealius, qui dux erat, in altum navigat, et inde, securus, imperat ne Cyrenaici cum hostibus injussi conserant manus (5). Synesius, contrà, qui non dux est sed philosophus, e propugnaculis vigilat, et ipse, quum sit somno gravatus, tormentum movet (6). Milites etiam, ut ita dicam, e terra educit, et extemporalem creat exercitum, et illi animos addere conatur : « Nos pro sedibus nostris, pro sacris, pro fortunis, pro legibus, quibus nos magis temporis diuturnitas assuefescit, non periculis omnibus vitam exponemus, sed animæ nostræ consulemus ? Haud sane viri esse videbimur (7). »

(1) Philostorge, XI, 8. — Cf. Epist. 132, quæ in anno 404 scripta esse videtur, et in quâ indicatur Aristœnetus consul, qui collega Honorii imperatoris fuit. In epistulâ illa de incursionibus barbarorum fit mentio.

(2) V. supra, f. 22 et sq.

(3) Ep. 100.

(4) Ep. 104.

(5) Ep. 129.

(6) Ep. 132,

(7) Ep. 113.

Subitarii illi milites sæpius armis carent et lapidibus pro telis utuntur (1). Itaque ab externis amicis suis flagitat arma Synesius : « Date mihi res ad bellum necessarias, date sagittas et in primis frena (2) ». Ipse vero arma qu m citissime fingi jubet : olivarum rami,falcibus decisi, in clavas mutantur, quas agricolæ et pastores torquebunt (3).

Arma quidem habere non satis est : militibus vero præsertim opus esse constat. Pauci juvenes, forti animo, Synesii adhortationes accipiunt ; plures illas non audiunt (4). Quorum timidorum est Egyptius ipse, ejus frater, quem acriter agitat (5). Quot autem Evoptios in Pentapoli reperias ! En ecce pagani, terrore impulsi, quod nonnullos viderunt Barbaros, ad Synesii milites confugiunt. « Quod si tibi sagittariis opus est, ait Synesius, eos arcesse, et confestim aderunt. Phycuntiorum remigum auxiliis nihilo magis confido, quam meis olitoribus. Paucos autem viros desidero, qui viros non mentiantur. Ac si aliquos ejusmodi nactus ero, quod cum Deo a me dictum sit, bono animo sum (6) ».

Sed accidit novum hoc admiratione signum ! Servandæ legis causam præbentes, ignavi quidam homines nihil se acturos esse profitentur : quum enim Valentinianus primus, in anno 364, rescripsit ut « nulli prorsus, nobis insciis atque inconsultis, quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur (7) », arma vel in barbaros sumere pro legis illius violatione esse dicunt ! (8) Indignatur vero Synesius :

(1) Ep. 122.
(2) Ep. 132.
(3) Ep. 108.
(4) Ep. 93.
(5) Ep. 132.
(6) Ep. 131.
(7) Cod. Th., XV, 15, 1 (364).
(8) Ep. 107.

« Scilicet jucundus es, ait vir noster, si quum hostis nostram terram populatur, nos arma fingere vetas. Tanto in discrimine, contendere audeas privatos jure arma sumere non posse ! (1) »

Synesius tamen, licet adversus tantas difficultates sit eluctatus, virtutis suæ pulcherrimum retulit pretium : nempe bis barbari sunt repulsi (2).

Præclara sane facinora, et illæ victoriæ Synesium in lucem protulerunt. Sed mox aliæ obvenerunt occasiones, quibus iterum de suis civibus bene merere potuit. Patriam enim suam adversus Barbaros tueri haud satis habuit : voluit quoque Cyrenaicæ commodis inservire, quum principis ministri vel imperiti vel præpotentes cives nimium vexabant.

Quæ Synesius in concilio provinciæ dixerit et fecerit ex paucioribus scriptis documentisve perspicere possumus (3). Nam, quia illud concilium, ut jam supra dictum est (4), ad rempublicam gerendam parvi erat momenti, verba in illo facere irritus erat labor.

Constat tamen Synesium hic votum repetivisse, quod jam, coram Arcadio imperatore, protulerat : alienigenas bello absolvendos (5).

Nihil enim habebat majori curæ quam ut contra Barbaros patriam suam muniret. Jamvero Ægypti præfectum, quod insigniore munere fungeretur et pluribus opibus frueretur, utiliori adjumento futurum esse existimans quam ipsum Cyrenaicæ ducem, Pentapolim, ut melius administraretur et fortius defenderetur, penes illum esse

(1) Ep. 107.
(2) Cf. Patrologia, T. 66. *De vita Synesii.*
(3) Cf. Ep. 94.
(4) V. suprà, *De curia et concilio provinciæ.*
(5) Ep. 94.

voluisset. Quod spectans, a concilio, repugnantibus summi imperii ministris, petebat ut et ducatus Libyæ supprimeretur, et provincia, quomodo antiquitùs, ab Ægypti præfectura rursus penderet (1).

Irrita tamen fuerunt illa vota, quia concilium provinciæ nulla potestate valebat. Ideo Synesius sane animum demisit, quum omnia illa frustra tentaverit. Quod suis opem ferendo impar erat, dolebat : « At ego communem cum civitate infelicitatem sustineo ! (2) »

Sæpe in saltum suum se recipiebat. Illic autem rei rusticæ operam dat, ipse se labore exercet et manus digitosque non tam calamo fatigat et atterit quam ligone (3). Interdum vero se totum venandi studio dedit (4). Sed sæpius se litteris, scientiæ, philosophiæ tradit : sive, — quæ Alexandrinorum philosophorum mos erat, — meditatur et non sine voluptate intus et in se intuetur (5) ; sive, sideralis scientiæ studiosus, inquietus per noctes sidera diu contemplatur (6) ; sive etiam alicujus rei virtutes et proprietates experimento explorat (7). Illic fortasse plerosque hymnos suos composuit ; illic opuscula more rhetorum limata, *Cynegetica* dico aut *Calvitii encomium* (8) ; illic epistulas illas scripsit, quas certe *Panellhenion* plausibus erat prosecuturum (9) ; illicque denique « divinas (10) » amicorum sacrum epistulas plenius degustavit.

(1) *Id.*
(2) Ep. 94.
(3) Ep. 32 et 144 — Cf. *Calvitii encomium*, 4.
(4) Ep. 147.
(5) Ep. 100 et 103. – Cf. *Hymnos*.
(6) Catast., II, 5.
(7) Ep. 15. Ab Alexandria hydroscopum arcessit.
(8) Adde plerosque *Hymnos*.
(9) Ep. 137.
(10) Ep. 100 : Ὁ δημίουργος τῆς θεσπέσιας ἐπιστόλης.

Non tamen quæ sunt cujusque civis necessitates et officia prætermittebat. Nam quoties opus erat, quietem suam amicorum suorum commodis condonabat. Honores quiedem et administrandi curam ipse timebat; amicis vero operâ prodesse eum juvabat. Multæ enim exstiterunt epistulæ, quibus aliquem alicui commendat (1); vel litibus quæ sunt sub judice intervenit, et, quum dolet quod ad honores auferendos gratia virtuti præstet, ad hominem quemdam qui gratia valet scribere non dubitat (2).

Quam felicissime, in latifundiis suis, Synesius,— si tamen, in epistulis, oratoriis ornamentis non abusus est, — vitam egisse videtur (3). Nempe felicitatis suæ unicum testem deum esse dicit, et sidera ipsa otium suum amice spectare videri (4).

Attamen, sub id tempus quod inter annos 401 et 406 interponitur, quibus Barbari fines invaserunt, e Pentapoli decedit; et, si epistulæ CXXIII est credendum, et duos annos (δυοῖν ἐνιαύτων) abfuit. Huc erat Alexandria reversus in anno qui Aristenætis consulatum sequitur (5), scilicet in anno 405, a quo incipiunt septem illi infelices anni, quos Synesius in Catastasi suâ secundâ commemorat, quam sane in anno 412 recitavit (6). Tunc Pentapoleos Gennadius erat præses, et dux erat Innocentius (7).

Fortasse patriam suam reliquerit, quia ægre tulerit quod administratores civibus injurias faciant, et nimis eos graviter crucient. Illud ex illius epistolis detegi potest.

« Ego vero in hac ipsa mea calamitate sum fortunatis-

(1) Ep. 34, 102, 43, 75, 117.
(2) Ep. 38, 47, 118, 119, 131.
(3) Ep. 57.
(4) Ep. 100.
(5) Ep. 133.
(6) Catastasis, II, 1.
(7) Id., id.

simus, dum ita inimicis atque amicis careo. Interclusum mihi sit cum omnibus commercium; nec sit cum istorum ullo commune quidquam. Peregrinus inter peregrinos degam. Mores ipsi nos ante, quam locus, separarunt. Equidem Cyrenes illustre solum deploro, quod Carneadæ olim habebant et Aristippi, nunc Joannes et Julii, quibuscum opportune non vivens, opportune peregrinor (1) ».

Ægyptum petivit fortasse (2), ut inter eruditos se exquisitioribus studiis instrueret et Alexandriæ refricaret, qua in urbe ratione et disciplina in studiis profecerat. Hic et suos annos vixit, et Hypatia magistra et summis viris usus est amicis : Pentadium dico, Augustalem vel Ægypti præfectum (3), et Theophilum Alexandriæ patriarcham, cujus sacra manu sibi uxorem datam esse dicit (4).

Quod a Cyrenaica aberat, Synesius non auctoritatem apud cives suos minuit, qui a Ptolemaide ad illum confugiebant, ut gratia ipsos tueretur. Sæpe enim ab illo petebant litigatores quidam se summis Alexandriæ judicibus commendandos. Et, quum Pentapolis laboraret et in magnis periculis esset versata, cives in illo spem suam plerique ponebant (5) : quanto enim amore quantaque virtute adversus Barbaros patriam defendisset, quam fortiter quoque præsidibus avaris obstitisset, non erant obliti.

A publicis vero muneribus non abhorrere necesse habebat Synesius, si vellet Pentapoli esse utilitati. Sed nunquam aut præses aut dux fuisset factus. Facilior contra aditus ad episcopatum, qui, illis in temporibus, eminenti

(1) Ep. 50, traductio Migne.

(2) Schneider, op. cit., f. 30 : « Certum est ab anno 402 usque ad ann. 404 Synesius fuisse Alexandriæ. » (V. Ep. 132).

(3) Ad Pentadium epistulas 29 et 30 scripsit.

(4) Ep. 105.

(5) Ep. 143, in quâ dolet se ab affectis injuriâ amicis, et a privatis et a militibus cogi, ut civilem sibi potentiam assumat.

viro satis auctoritatis dabat, ut in consiliis publicis aliquid posset. Ad finem ergo anni 411, ut ab epistulis patet, a Ptolemaicis civibus electus est episcopus (1).

Suscipere illud munus diu dubitavit. Haud multis ex annis fortasse ad christianam venerat religionem (2). Jamvero nonnulli auctores (Evagrius, Photius, Nicephorus) dicunt illum, quum ad episcopatum sit vocatus, etiamnunc falsorum deorum cultorem esse, et credere non velle, quod Platonicus sit, corpora a morte ad vitam esse revocanda ; attamen, quamvis fidei christianæ non omnia acciperet placita, a christianis Ptolemaicis episcopus acclamationibus fuit electus (3).

(1) Schneider, opus cit., cap. *Quo anno episcopus electus sit*, f. 33 et sq. - f. 34 : « Omnis vero de anno episcopatus dubitatio mea sententia removetur certo temporis judicio, quod inest in epistula 13 (Πέτρῳ πρεσβυτέρῳ). Hac epistula Synesius solemnium litterarum latorem, quibus dies resurrectionis Domini indicatur, Petro presbytero commendat ipsamque illam diem ad 19, τοῦ Φαρμουθί indicat. Dies 19 mensis Ægyptiaci Pharmuthi incidit in a d. 18 Kal. ,Mai (14 Apr.) — Cf. Ideler. I, 143. — Hoc autem die Paschæ feriæ celebratæ sunt anno 412 (cujus anni Num. Aur. est 14, litt. Domin. GF, cf. Brinckmeier, p. 77 sq.). — Cum deinde epistulæ 13 insint vestigia, quibus recens eum episcopum electum esse comprobatur : id quod tota epistulæ indole verisimile fit, cives enim Synesius adhortatur ut pro ipso deum precentur, quia ad sacerdotium evexerint non eum, cui ad deum adeundi ac pro universo supplicandi esset fiducia, sed cui ut servari posset populo deprecatore opus sit ; — his de causis mihi persuasum habeo, Synesium ineunte anno 412, fortasse exeunte 411 consecratum esse episcopum. »

(2) *Id.*, f. 23 : « Quïbus ex verbis Volkmannum et Sieversium cum concludant, Synesium jam fuisse christianum vel in eo quidem, ut fieret christianus, prorsus errare elucet ex hymni versibus antecedentibus, quibus templa paganorum, non christianorum ecclesiœ clare indicartur (Hymn. 3, 435-440 et sq.). Verba facit (Hymn. 3, v. 8 et sq.) de corona, deorum regi nectenda (v. 48) se venisse dicit ad Libyæ oram australem, quam neque imprus flatus pollueret nec signaret vestigium hominum urbana curantium (v. 86) terra optat se condat alatus draco, dœmon hylæ, nubes animæ, idolis gaudens, adversus preces qui canes advocet. Quæ verba omnia prorsus pagani sunt non christiani.

(3) Notitia historica de Synesio. *Patrologia*, 66.

Ipse quidem sæpe est confessus se ad sacerdotium non esse paratum. Aliquando post electionem, ad fratrem suum Evoptium scribebat « sua quidem sententia se indignum esse qui episcopus eligeretur, quod non ad illum candorem illamque animi castitatem pervenisset quæ episcopum deceat (1) ». Quippe corporum resurrectionem, invitus, inter res dubitandas semper habebat. Porro quam vitam felicem, ut potens terrarum dominus, vivebat, eam relinquere dubitabat grave suscepturus munus. Denique uxorem suam, quam magnō amore amplexus erat (2), missam facere, vel, si episcopus esset, occulte cum illa vivere nolebat (3).

Quapropter ante sacerdotes suos postea confessus est, se, quum ad episcopatum esset vocatus, adeo imbecilla fuisse religione, ut pro universo populo Deum precari non auderet.

Non mirum est igitur, si omnibus effugiis, quod non optaverat munus, effugere conatus sit. Voluntati quidem civium suorum septem menses (4) reluctatus est. Se iterum atque iterum mori velle fatebatur, potiusquam episcopatum suscipere (5).

Quod munus primum respuerat, tandem accepit : nonnullis fortasse temperamentis fuerat mitigatum. Si scriptoribus quibusdam est credendum (6), tanti erat ut Syne-

(1) Ep. 105.

(2) *Id.*: « Ἐμοί τοιγαροῦν ὅ τε Θεὸς ὅ τε νόμος ἥ τε ἱερὰ Θεοφίλου χεὶρ γυναῖκα ἐπιδέδωκεν... Cf. Ep. 107 : « προαγορεύω τοίνυν ἅπασι καὶ μαρτύρομαι, ὡς ἐγὼ ταύτης οὔτε ἀλλοτριώσομαι καθάπαξ, οὔτε ὡς μοιχὸς αὐτῇ λάθρα συνέσομαι. Τὸ μὲν γὰρ ἥκιστα εὐσεβές · τὸ δέ ἥκιστα τον νόμιμον, ἀλλὰ βουλήσομαί τε καὶ εὔξομαι συχνά μοι πάνυ καὶ χρηστὰ γενέσθαι παιδία... »

(3) Ep. 105

(4) Ep. 95, ἕβδομον μῆνα.

(5) Ep. 11.

(6) Villemain, Chateaubriand.

sius in Ecclesiam aggregaretur, ut ille nex uxorem suam nec Platonis doctrinam relinquere necesse habuerit (1). Putant contra quidam, Synesium omnium salutem suis commodis prætulisse (2). Nempe Ecclesiæ disciplina rigida erat : jam ex anno 305, concilium, occidentale quidem, quod *Eliberam* sedem habuerat, a clericatura connubium omnino alienum esse decreverat : « Placuit in totum prohiberi episcopis, presbyteris et diaconibus, vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis et non generare filios, quicumque vero fecerit ab honore clericatus exterminetur (3) ».

Attamen lex, in anno 420 lata, fert : « Illas etiam non relinqui castitatis hortatur affectio, quæ ante sacerdotium maritorum legitimum meruere conjugium (4) ».

Et etiam si Socratis *Historiæ ecclesiasticæ* est credendum, Paphnutius, superioris Thebaidos episcopus, in synodò quæ Niceæ habita est, dixit non imponendam episcopis, presbyteris et diaconis hanc legem, quâ ab uxorum, quas, cum laici essent, matrimonii jure sociaverant, concubitu abstinerent. « Castitatem autem vocabat congressum viri cum uxore legitimâ. Satis esse, ut qui in clerum fuissent adscripti, juxta veterem ecclesiæ traditionem jam non amplius uxores ducerent : non tamen quemquam sejungendum esse ab ea, quam antehac, tum cum esset laïcus, legitime duxisset.... Ceterum universus sacerdotum cætus, Paphnutii sermonibus assensus. Proinde obmissa ejus

(1) Ep. 95, in quâ se dicit, si unâ cum philosophia facere istud liceat, eam functionem obiturum. »

(2) Druon, p. 36-37.

(3) *Sacrosanta concilia* (Ph. Labbé et Gab. Cossant.), Tom. 1, p. 974 : *Concilium eliberitanum*, 305 (art. 33) — Cf. *id.*, *Concilium Neocœsarense*, 314, art. 1 : « Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur »

(4) Cod. Theod., XVI, 2, 44.

rei disceptatione, singulorum arbitrio permiserunt, ut ab uxorum consuetudine abstinerent si vellent (1). »

Quomodo egerit Synesius, nullo ex auctore perspicere possumus. Constat tamen illum, in epistulis quæ post annum 411 scriptæ ab eo fuisse videntur, de uxore non jam mentionem fecisse.

Ut mos erat, Alexandriam ivit noster, qui consecraretur. Inde fortasse ad sacerdotes diocæsis suæ illam scripsit epistulam, qua voluntati divinæ se submisisse dicebat, et ab illis petebat, ut pro ipso deum precarentur (5).

Ptolemadem deinde rediit. Illic novam ingreditur vitam, in quâ virtutibus haud minoribus inclaruit, quam illæ quas jam ostenderat ex illo tempore quo fuerat ad imperatorem legatus. A legatione enim ad episcopatum, et patriæ suæ studiosus fuerat, et Pentapolis commoda sive coram Principe, sive apud provinciæ concilium defenderat ; deinde adversus Barbaros victoriam paraverat. Jamvero et placita philosophorum cognoscebat ; sed, quemadmodum Marcus Aurelius aut Julianus imperatores, officia civica cum ingenii studiis copulabat. Illos mores, illam servavit personam, quum episcopus factus fuit.

(1) *Socratis Historia ecclesiastica*, lib. I. cap. XII. (Edit. Henricus Valesius, 1668.) Cf. id. lib. V. cap. XXII : « Aliam quoque consuetudinem in Thessalia esse cognovi. Clericus ibi promotus, si post clericatum dormierit quam ante clericatum legitimo matrimonio sibi copulaverat, abdicatur : cum uxore cum in Oriente cuncti sua sponte, etiam Episcopi ab uxoribus abstineant, nulla tamen lege ant necessitate constricti id faciant(ού μὲν ἀνάγκῃ νόμου τοῦτο ποιούντων). Multi enim illorum, episcopatus etiam sui tempore, liberos ex legitimo conjugio susceperunt... » — Cf. quoque. Id. II. cap. XLIII. — Affirmat Socratus in synodo Gangrensi in Paphlagonia condemnatum fuisse Eustathium, Sebastiæ in Armeniâ episcopum, qui « presbyteri uxorem habentis, quam dum esset laicus legitimo matrimonio sibi copulaverat, benedictionem et communionem instar piaculi declinandam docebat... »

(5) Ep. 11.

X

QUOMODO SYNESIUS REM PUBLICAMM TRACTAVERIT

DE SYNESIO EPISCOPO

Ptolemaidis incolæ salutem suam in Synesio adeo positam esse credebant, ut indigne ferrent si ille episcopatum abnuisset : « Episcopatum si recusem, inquit, in patriam meam regredi non possim. Omnibus civibus meis in odium veniam et contemptionem (1) ». Exspectabant enim ab illo non tam ut religioni caput esset, quam civitati fortis defensor.

Et revera, inter principes et potentissimos non solum Ptolemaidos, sed etiam Cyrenaicæ universæ, statim eminuit.

Quia enim Ptolemaidos est episcopus, hoc, et Pentapoleos simul est metropolita, et ceteris episcopis imperat, et in omni provincia de rebus sacris decernit (2). Episcoporum electionibus (3) et litibus inter provinciæ episcopos intervenit (4). Et quum ab Alexandriæ patriarcha pendeat (5), non ideo minus habet auctoritatis.

(1) Ep. 95.

(2) Ep. 66, 67.

(3) Ep. 67 et 156.

(4) Ep. 67.

(5) Ep. 67 et 76. — Cf. *Sacrosancta concilia* T. II. p. 46. Canones *Concilii Nicoeni* VI, ex interpretatione Isid. Mercatoris. « Mos antiquus perdurat in Ægypto, vel Libya et Pentapoli, ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem et episcopo romano parilis mos est. »

Quidquid potestatis in provincia habent clerici et episcopi, illud Synesius colligit : in illum, ut ita dicam, coeunt omnia episcoporum officia et jura.

Jamvero leges quædam, a Principibus latæ, illi jus tribuunt interveniendi rebus publicis. Quod illi non jus tantum est, sed quoque officium, quum a populo sit electus : « Ab Andronico, inquit, ad id adducor, ut omnium civium infelicitatis rationem habeam (1) ». Itaque, illorum quos injuria premit, patronum et defensorem se præbet : « Calamitates, quæ mihi narratæ sunt, et quas ipse vidi, me ad id impulerunt (2) ».

Diu tamen cunctatus, se inter cives et præsidem interponit. Nam difficultates et pericula, quæ ex illa sua interventione oriri possint, intelligit et preoccupat. Illa jam præsagire potuerat, quum Constantinopolim legatus fuisset, quo tempore Sanctus Johannes Chrysostoma cum Eutropio de imperia colluctabatur : « Prisca tempora inquit, eosdem sacerdotes ac judices tulerunt. Nam Ægyptii et Hebræi longo tempore sacerdotum imperio usi sunt. Deinde, posteaquam, ut mihi videtur, divinum opus humano more fieri cœptum est. Deus ambo vitæ genera separavit ; unumque horum sacrum, alterum ad regimen atque imperium constituit. Alios enim ad infimarum rerum fæcem convertit, alios sibi sociavit : illi in negotiis, nos in oratione collocati. Ab utrisque vero quod honestum et consentaneum est, requirit Deus. Quid tu igitur antiquum illud revocas ? Quid ea conjungere vis, quæ Deus sejunxit ? Quid nos non administrare, sed administrando depravare postulas ; quo quid infelicius esse potest ? Patrono opus habes ? Vade ad eum qui reipublicæ legibus præest. Deo

(1) Ep. 57.
(2) *Id.*

quapiam in re indiges? Vade ad urbis antistitem... (1) »

Quam sententiam jam expresserat Sanctus Johannes Chrysostoma, illis verbis noster repetere videtur : « Et ecclesiæ, et civitati et animæ suæ operam impendere, dicit sanctus ille orator, nimius est labor quam ut unus vir illum sustineat (2) ». Haud aliter queritur S. Augustinus quod in componendis litigatorum causis omne suum tempus conterit (3).

Sed Synesius, quamvis invitus, iisdem inservire commodis necesse habuit, quum Ptolemaidis incolæ eum elegerint episcopum, cui res suas commendarent : « Et omnibus palam præpositus, inquit, suas ut apud me calamitates deplorent, ac lugeant, Andronicum malorum omnium auctorem ad ea accessionis habui loco; propter quem ne momento quidem familiari mihi otio perfrui licet (4) ».

Ab illo enim et adversus præsidem auxilium et adversus Barbaros salutem petunt. Itaque, quemadmodum olim quia unus e potentibus erat, ita rursus, episcopus factus, majoribus viribus, majoreque auctoritate adversus præsides et duces provinciæ colluctatur.

Qua in intercessione, Synesius fortasse aliquid veteri suo odio indulget adversus Principis quosdam ministros et non omnes simultates permittit suas. Vel, sub episcopo, potentem deprendas, qui fere omnia aut præsidis aut ducis acta pro injuriis habet. Divitum enim et potentium malis præsertim ingemit, quorum et simultates complectitur et commodis servit (5) : jure quidem, quod divites et potentes illi

(1) Ep. 57.

(2) Cf. *De Psalm.*, 119.

(3) *De Psalm*, 119.

(4) Ep. 79.

(5) *Id.* « Nunc enim is est, qui contra nobiles omnes Deceliam ipsam, inquam, opposuit. »

avaritiæ et crudelitati præsidis sunt obnoxii ; potentium enim detrimento altius exaggerata indicuntur tributa ; potentes a legatis præsidis vexantur ; potentes aurum tironicum exsolvunt ; potentes argento tantum consequuntur jus provocationis vel ad aulam vel ad præsidis tribunal (ἀυλάναια) (1). E potentium gentibus vi auferuntur puellæ prædivites, quas principis ministri quidam sæpius appetunt. Potentes eosdem denique insectantur delatores et majestatis crimine accusant, post quod semper reorum bona fisco addicuntur (2).

Synesius certe, dum de principis legatis acrius conqueritur et illis male precatur, non omnium civium querelas tantum exprimit, sed sæpe inimicitiæ suæ indulget, quia legati isti et in illum et in ejus gentem injurias admiserant (3). Attamen, in epistulis suis, adeo contente dicit ut vere dicere videatur. Mox etiam majorem quamdam induit personam, et non solum potentium ordinem defendit, sed patronus fit et publicus accusator, quum civitas aliqua aut provincia in discrimine est versata.

Ubi religiosum suum suscipit munus, præsidi Andronico fere quotidie obsistere necesse credit. Pro omnibus civibus, de Andronico eloquenter conqueritur. Et fortasse fuerit ille præses, ut alii præsides, nec optimorum, nec pessimorum. Sed quod e Cyrenaica ortus erat, Berenicensis (4), majorem invidiam majoremque iram in se commoverat : quo perspici potest quam prudenter lege cautum fuisset, ne quis provinciæ præses eligeretur unde ortus esset (5).

(1) V. supra *De præside*.

(2) Id.

(3) Ep. 79 : « Sed quod malorum est longe maximum, quodque mihi desperatam vitam facit, nunquam anteà in precibus ad Deum fundendis frustrari voto solitus, nunc primum frustrà me precatum sentio : *qui ærumnis oppressam familiam video* ; et in afflictà patrià versari cogor. »

(4) Berenice urbs in Cyrenaico littore Syrti majoris sita erat.

(5) Ep. 73.

Synesius enim profitetur illum ex Cyrenaica exhausta divitem esse, et ab eodem civibus plerisque mala omnibus modis esse allata. Hoc est crimen, ut supra vidimus (1), quod Synesius in Andronicum molitur. Quo quidem, quum non fictum fuisse videatur, sed magnâ ex parte verum, quanta exsecratione præsidem istum cives sint prosecuti facile intelligas. Illi enim cives Synesium adeo implorant et flagitant, ut noster, quum jus interveniendi et acta præsidis inspiciendi lege obtineat (2), illo jure uti sit coactus.

Attamen, primum comiter et officiose agit, et ab Andronico petit, ut aliâ ratione rem publicam tractet. Frustra : « Fit omnium, ait Synesius, ad me concursus : et undique statim impellebar auditu malorum et spectaculo ; atque, cum illum admonerem, persuadere non potui : cum increparem, irritavi... (3) »

Andronicus enim neque precibus neque vituperationibus movetur. Immo, quos Synesius præsidio et patronicio tutatur, illi præcipuè Andronico sunt invisissimi (4). Itaque Synesius, animo fractus, episcopatum exuere destinat, quum frustra illa sua eloquentia sit usus, qua olim valebat, quamque sibi pro telo esse existimabat (5). Et, quia sacram ejus auctoritatem derisui habebat Andronicus, Synesius de inutili munere suo relinquendo cogitabat. Sed civium

(1) V. supra p. 28 et sq.

(2) Id. p. 68. Cf. Const. Sirmond. XIII, lex in anno 419 lata : « Eam quoque sacerdoti concedimus facultatem, ut... interventiones suas apud judicem competentem pro jure moderetur... »

(3) Ep. 57.

(4) Ep. 57 : « Nam propter me illum (civem) in castellum inexpugnabile conclusit. »

(5) *Id.:* « Mihi vero ut persuadere possem hominibus, ad hunc usque annum fortasse divinâ quâdam sorte concessum est : fortassis etiam, quod ægre me negotiis implicarem, quæ vellem ad exitum perducebam. Jam vero res tota in irritum cessisse deprehenditur. »

suorum querelæ et ærumnæ novas vires illi reddiderunt et illum pugnam detrectantem revocaverunt (1).

Scripsit ad illos qui Constantinopoli apud Principem gratia valebant, ut Cyrenaica a tyranno liberaretur, qui eam vexaret. Troili sophistæ intercessu, qui in aula vir erat haud parvi ponderis, apud Anthemium, prætorii præfectum, de Andromico querimoniam habuit : per leges, rogat ut justicia et jus restituantua, cives non vexentur, Andronicus damnetur (2). Scripsit quoque ad Anastasium, qui Constantinopoli magna auctoritate fruebatur, et a studiis erat filiorum Principis, cum quo erat conjunctissimus (3) : « Libera mærore, inquit, ac tristitia Ptolemaidem : quam ego urbem sortitus sum, equidem minime volens (4) ». Et tota sua epistola Andronicum vehementer agitat.

Irritæ tamen fuerunt illæ epistolæ. Et Andronicus easdem in cives injurias admittere perrexit (5).

Itaque, quum Synesius nec Andronicum munere depellere posset, nec in illum iram Principis vertere, his usus est armis in illum, quæ ab Ecclesia acceperat ; et occasionem amplexus est ab Andronico ipso oblatam.

Aliquis e nobilibus Cyrenaicæ, quem præses et haud jure erat persecutus, et tortoribus tradiderat, jam in eo erat ut periret, quum Synesius festinanter accurrit et miserum istum hominem supplicio eripere conatus est. Sed præses, furore actus, dixit hominem, quum capite sit damnatus, vel obstante Ecclesia, esse periturum : « frustra illum dicens spem aliquam in Ecclesia collocasse, neque quem-

(1) *Id.*
(2) Ep. 73.
(3) Cf. Ep. 22 et 121.
(4) Ep. 79.
(5) Ep. 57.

quam ex Andronici manibus ereptum iri, non si pedem ipsum Christi manibus amplectatur (1) ».

Qui tam ferocibus verbis præses asper divinum sane obtrectabat numen. Quapropter Synesius, actionis tandem cujusdam occasionem arripiens, ut tantæ audaciæ frenum injiceret. Andronicum ab Ecclesiæ communione esse seclusum renuntiavit.

« Andronicum Berenicensem, infelici Pentapoleos fato editum, et educatum, et adultum, quique patriæ præfecturam pecunia redemit, nemo existimet, aut appellet Christianum ; sed tanquam a Deo exsecratus, cum universa sua familia ab omni sit ejectus ecclesia (2) ».

Illud vero notandum est, Andronicum fuisse excommunicatum non quod cives oppresserit, sed quod, ut ita dicam, pro Christi et christianæ religionis hoste egerit. Sancti quidem Johannis Chrysostomæ exemplum secutum esse noster videtur. Qui enim sacris Andronico interdicit, « non quia Pentapolis extrema plaga fuit, post terræ motum, post locustam, post pestilentiam, post incendium, post bellum, illorum omnium reliquias diligenter persequens..., sed quoniam primus apud nos et solus factis verbisque Christa maledixit (3) ». Quo constat episcopos timide etiam nunc reipublicæ administrandæ intervenire, et, si intervenire conentur, causas afferre sacras.

Attamen, excommunicatio illa haud fuit irrita : vim contra vehementer exercuit suam. Andronicus, timore exterritus, se nullum jam esse putavit, et superbiam posuit. Antequam enim Synesius episcopis Pentapoleos excommunicationem notam fecerit per epistulam, qua Andronicum omnibus et sacris et templis arcebat, jubebatque ut

(1) Ep. 58.
(2) Ep. 58.
(3) *Id.*

omnes magistratus et cives illum domo et mensa prohiberent, ad Synesium Andronicus supplex venit. Simulavit se illorum facinorum pigere quæ admisisset, et pro illis se ultro pœnas daturum esse pollicitus est. Clerici Synesio suaserunt ut Andronico parceret : quibus auctoribus, Synesius, quamvis invitus, Andronicum excommunicatione absolvit, ea tamen lege ut « in ejusdem conditionis homines non amplius sæviret (1) ».

Quod providerat Synesius, id cito assecutus est Andronicus, qui nec promissis stetit nec sævitiam exuit. Jam immodicum ejus imperium et in dies crudelius est factum (2). Ad illud tempus enim civium bona fisco addicere, et cives ipsos necare adhuc cunctatus erat. Nunc contra « quam multi per eum extorres facti ! Quam multi antea locupletes per illum ad mendicitatem redacti ! Sed lævia hæc, si cum nobilissimi Magni, sed per summam crudelitatem sublati, exitu comparentur ! » Quippe, sine vero scelere, ut patet, sed causas tantum afferens, in vincula injici jubet illum Magnum, cujus fratrem in exsilium jam projecerat, et eum, donec perierit, verberibus cædi jussit (3).

Quod flagitium Synesius adeo indigne tulit, ut non jam in Andronicum timide egerit. Quam excommunicationem non renuntiaverat, eam, per epistolam ad episcopos Pentapoleos missam, notam fecit (4). Illius autem excommunicationis fuit ille exitus, quem omnes optaverant. Princeps enim episcopi auctoritatem quasi agnovisse videtur, quamvis non adhuc lata fuerit lex illa, quæ episcopis de magistratuum negligentia certiorem Principem facere

(1) Ep. 72.
(2) *Id.*
(3) Ep. 72.
(4) *Id.*

præceperit (1); jam vero ecclesiis et episcopis imperatores sane placere cupiunt (2). Quidquid id est, a munere Andronicus revocatus est (3). Immo illum acriter judicio est persecutus princeps (4). Sed Synesius, misericordia captus, Andronicum, pro sceleribus, majores dare pœnas existimavit. Itaque liti intervenit, ut reum infelicem ipse tueretur. Productus fuerat Andronicus in judicium, ut administrationis suæ redderet rationem, et scelera expurgaret, quæ antea impune admittere videbatur. Noster tamen Andronico patrocinari haud dubitavit, quod quidem Principi displicere poterat : « Hunc Andronicum, inquit, oderat quidem (Ecclesia) antea, ob illa quæ perpetrabat, et id circo illum eousque passa est recidere. Nunc ejusdem miseretur, quod illum imprecatione graviora quædam experta sentiat. Itaque potentibus etiam viris ejus gratia molestiam fecimus..... Quare nos hic eum e funesto tribunali detraximus ac cæteris in rebus leviores illi multo calamitates reddidimus (5) ».

Haud multo ante, Constantinopoli, Sanctus Johannes Chrysostoma, quem Eutropium potentem et gratia Principis florentem agitaverat et e munere exegerat, eumdem bonis, gratia et munere orbatum, furenti populo, fortasse ante Synesii ipsius oculos, eripuerat.

(1) V. supra p. 48.

(2) Cod. Theod., XVI, 2, 16 (361) : « In qualibet civitate, in quolibet oppido, vico, castello, municipio, quicumque voto christianæ legis meritum eximiæ singularisque virtutis omnibus intimaverit, securitate perpetua potiatur. Gaudere enim et gloriari ex fide semper volumus, scientes, magis religionibus quam officiis et labore corporis vel sudore nostram rem publicam contineri... »

(3) Ep. 90.

(4) *Id.*

(5) Ep. 89 ad Theophilum.

***

Metropolitæ non tantum erat avaris præsidibus obsistere: sæpe etiam, quum aut dux imbecillus erat, aut exercitus incompositus, officium ducis usurpare necesse habebat (1). Noster igitur, quum episcopus est electus, eamdem et virtutem et prudentiam retulit, quam, latifundiorum dominus et e potentibus unus, approbaverat, quum subitarium crearet exercitum et Barbaros repelleret.

In anno 412, Ausuriani rursus et Cyrenaicam invadunt et omnia populantur (2). Illo in tempore præses erat Gennadius. Et dux Innocentius, quia et ætate fractus erat et pauco milite utebatur, ad Barbaros repellendos aut nihil fecit aut nihil facere potuit (3).

Barbari igitur, sine pugna et sine sanguine, pleraque oppida occupaverunt et urbes agrosque sunt populati Immo audacia provecti, et templa violabant, et sacra polluebant, et in servitutem paganos abstrahebant; jamvero incolas qui ætate et viribus vigebant, eos adversus patriam suam pugnare cogebant inclementes isti victores.

Erat ergo Cyrenaica magno in discrimine versata, et in eo ut prolaberetur. Synesius, quum secundam suam recitavit Catastasim, patriæ mortuæ funebrem laudationem habere videbatur. Etenim ex omnibus urbibus et oppidis sola stabat Ptolemaïs. Nam Barbari isti, qui olim pauco agmine fines tantum invadebant ut oves bovesque ducerent

(1) Diehl., op. cit., lib. III, cap. III.

(2) Συνεσίου Κυρηναίου καταστασις ῥηθεῖσα ἐπὶ τῇ μεγιστῃ τῶν βαρβάρων ἐφόδῳ, ἡγεμονεύοντος Γενναδίου, καὶ Δουκὸς ὄντος Ιννοκεντίου. (*Patrologia*, T. 66).

(3) *Id.*

et agerent, nunc, audacia provecti, præcipuam Cyrenaicæ urbem obsidere non dubitant.

Quod, haud multos post annos Sanctus Augustinus Hipponi, aut papa Gregorius Magnus Romæ (1), id noster Ptolemaide fecit : civium enim suorum et animos recreavit et urbem ipse præsidiis munivit. In turribus excubias posuit et circitores creavit, qui vigilias reviserent, ne intempesta nocte invaderetur. Ipse, inquietus et intentus, quæ in promptu habebat, signo dato, arma induebat (2) : « Vivo enim, scribebat ad fratrem suum Synesius, in infesta hostibus regione minime privatus, mihique singulorum calamitates deplorandæ sunt ; et in mense sæpius ad propugnacula prosiliendum, quasi ad militiæ societatem, non ad fundendas preces conductus fuerim (3) ».

Illum vero Synesius sui laboris cepit fructum, quem non habuit S. Augustinus. Nam Barbaros vidit a Ptolemaide discedentes, et, postea, iterum e Cyrenaica exactos. Dux enim Marcellinus, quem Synesius, in epistula LXII, laudibus extollit, quod et summa fuit religione, et barbaros vicit, egregie res bello gessisse, episcopo Synesio, et a Cyrenaica Pentapoli maxima pericula amovisse et civitatibus pacem dedisse videtur (4).

(1) Cf. Diehl., op. cit., lib. III, cap. 3 : Gregorius Magnus, quasi militum dux, Romæ defensioni præsidebat, et, ejus exemplo, italicas civitates armis protegebant alii episcopi.

(2) Catastasis in maximam Barbarorum excursionem prolata.

(3) Ep. 88.

(4) Ep. 62. Laudat Synesius Marcellinum qui, cum bello vexatas urbes accepisset, *foris quidem* a multitudine et furore barbarico, intus vero a militari insolentia et militarium præfectorum avaritia pacem civitatibus dedit.

EPILOGUS

Quamdiu Synesius et Ptolemensis episcopus fuerit et Pentapolim defenderit et servaverit, nullo auctore comprobari potest. Nullam enim epistulam post annum 419 scripsisse videtur. Ad annum quidem 430 vixisse adhuc Synesium putant scriptores quidam, quia Ptolemensis alius episcopus, nomine Evoptius, anno 431, in concilio Ephesino sedit (1). Fueritne ille nostri frater, incertum (2); quod ceterum nihil fidem facerat Synesium ad id tempus vixisse. Aliis vero quidam scriptoribus si credendum est, in anno 414 vel 415, ab episcopatu cessisse videtur Synesius, sive infirma valetudine luctuque ex præmatura filiorum morte capto (3) absumptus fuit, seu potius, graviorum fastidio

(1) Idem Evoptius sententias a tribus synodis in Nestorium latas suscripsit. Cf. Schneider, op. cit., p. 41 (cap. *Quo anno mortuus sit Synesius*).

(2) Clausem., p. 224. — Cf. Schneider, p. 42 : « Sed recte Clausenius monuit, incertum esse num Evoptius ille Synesii frater fuerit, pluresque inter Synesium et Evoptium sedem Ptolemaidis occupare potuisse. Huc accedit, quod Evoptius non frater minor natu sed major fuit Synesii, id quod, etsi sententiam illam non prorsus reprobet, valde tamen incredibilem reddit. »

(3) Cf. Schneider, p. 42 : « Quas alias duas profert Wernsdorfius (Diss. de Hypatia. Viteberg, 1747) rationes, unam errore abductus finxit hanc : nullam ad Cyrillum, Alexandriæ episcopum, Theophili successorem, epistulam missam exstare affirmat, quod plane refellitur ep. 12, ad Cyrillum data. Alterum proponit idem argumentum, quod supra removimus : Evoptii fratris successionem in episcopatu. » — Putat vero Druon in anno 413 Synesium mortuum esse.

munerum in cœnobium effugit (1) : quam autem conjecturam vel argutissimam nullum documentum comprobat.

Attamen, quum rara sint scripta, quæ quomodo Synesius rem publicam tractaverit narrent, quam personam quamque auctoritaiem habuerit noster, perspicere possumus.

Est enim quædam ei similitudo cum dominis latifundiorum illis, qui, per medii ævi sæcula, rei rusticæ, venationis studiosissimi erant, et, in saltibus castellisque potentissimi, ullis regalibus legibus cedere negabant. Quippe, quemadmodum illi, et principis ministros parvi pendit, et omnibus iis patrocinatur, qui, præsidum injuriis obnoxii, lamentantur. Porro, eadem vi virtuteque patriam Pentapolim adversus Barbaros defendit.

Sacram profecto quamdam induit personam, quum Ptolemensis episcopus a civibus suis ipsis est electus ; sed, quod de rebus sacris decernit, illud ejus consiliis et auctoritati majus quoddam addit pondus. Attamen, non fuisset sane a civibus designatus, nisi, inter potentes Pentapoleos latifundiorum dominos, agris, divitiis, copiis, ingenio insignis fuisset. A Ptolemensi autem populo electus est, quia clientibus multis utebatur, et, electus, toti Cyrenaicæ populo patronus exstitit. Illum ergo cives sui ad episcopatum evexerunt, et quia domi militiæque bene de Pentapoli meruerat, et quod, majore auctus honore, majoribus beneficiis patriam suam erat affecturus.

Ex illius vero vita et persona, quomodo dissolveretur romanum illud imperium, jam ineunte quinto seculo dig-

(1) Schneider, p. 45 : « Quam in rem quadrat, quod ep. 10 (τῇ φιλοσόφῳ) eodem fere tempore scripta, una cum liberis suis se et amicis et omnium benevolentia privatum esse dicit. Ipsam Hypatiam, divinissimam animam, quam unam sibi permansuram speraverit, quod a se recesserit, accusat... Ipsam fortasse eædem Hypatiæ dicere possumus causam, quæ etiam Synesio horam maturaverit supremam. Quam ob rem, diem mortalem ad annum 416, certe post Hypatiam trucidatam, producendum esse suspicor...»

noscere possumus, quod, in eo tempore, magis atque magis imbecillis principis auctoritas erat facta : primum, quia latifundiorum domini, vel « potentes » in dies invaluerant; deinde, quod Ecclesiæ consilia vel apud cives vel apud principem ipsum et contra præsides, principis tamen vicarios, magis valebant.

VIDI AC PERLEGI

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona; a. d. XVII kal. nov. anni MDCCCXCIX.

Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,

A. CROISET.

TYPIS MANDETUR :

Academiæ Parisiensis Rector,

GREARD.

TABULA

		Paginæ.
Introductio		V
I.	De Synesii stirpe et indole	1
II.	De Cyrenaica	5
III.	De Barbarorum incursionibus	9
IV.	De Pentapoleos præsidibus	12
V.	De ducibus Cyrenaicæ Pentapoleos	21
VI.	De curia civitatis et concilio provinciæ	29
VII.	De Potentibus	37
VIII.	De episcoporum auctoritate	42
IX.	Quomodo Synesius rem publicam attigerit. — Ante episcopatum	51
X.	Quomodo Synesius rem publicam tractaverit. — De Synesio episcopo	64
Epilogus		75